FRANCISCI MAURI

HISPELLATIS MINORITAE

FRANCISCIADOS LIBRI XIII.

ANNOTATIONIBUS HISTORICIS ET CRITICIS

INLUSTRATI

A RAPHAELE FRANCOLINIO

FANENSI

CANONICO AC RHETORE SEMINARII SENOGALLIENSIS

ADDITO NUNC PRIMUM

HYMNO ITALICO DANTIS ALIGHERII

IN LAUDEM

D. FRANCISCI ASISINATIS

Cum selectis Variorum atque amplissimis
ejusdem Canonici Commentariis.

FANI EX TYPOGRAPHEO BUROTTIANO

A. MDCCCXXXIII

Permissu Praesidum.

IGNATIO . CADOLINIO

ARCHIEPISCOPO . SPOLETINORVM

ADMINISTRATORI . APOSTOLICO . ECCLESIAE . FVLGINATIS
ADSCRIPTO . INTER . PROCERES . EQVESTRIVM . ORDINVM
KAROLI . III . ET . ELISABETHAE . CATHOLICAE

TAVRELLVS . TAVRELLIVS

S . P . D

Cum primum edere denuo in lucem constitui Francisci Mauri Hispellatis Poema in laudem D. Francisci exaratum, quod omnigenis erroribus scatebat, et tamen vix permagno comparabatur, licet pluries fuisset typis commissum; non fuit mihi diu dubitan-

dum, cuinam potissimum Viro dignitate, scientia, ac religione praestanti, novissimam hanc editionem ex vetere instituto dedicarem. Tu enim subito in mentem venisti, Antistes amplissime, cujus nominis commendatione ornatum libellum in hominum manus venire discuperem. Et revera multae sunt caussae, eaeque non parvi momenti, quae me in hanc sententiam perduxerunt. Nam, sive politiorum literarum doctrina exquiratur, haec in Te, omnium judicio, fulget latissime, et amor praesertim Sacrae Poeseos: unus enim es ex perpaucis, qui rarissimum hoc opus habeas inter alia quamplurima, quae lectissimam tuam bibliothecam exornant: si charitas vero postuletur, quae super omnia Episcopum

maxime decet et decorat, quaeque magis referat eximium Patriarcham, profecto major in optimo Pastore elucere non poterat hisce temporibus, quibus non modo tibi dilectissimus grex, sed et Umbriae totius populi, propter insolitos terrae motus, tot calamitatibus vexati sunt. Quamobrem jure ac merito sapientissimus Pontifex Maximus, et Princeps idem providentissimus Gregorius XVI., quum infelicis Umbriae aerumnis opitulari, et praesentissimum remedium adferre festinaret, Te divinitus quidem elegit, Cui vulnera medendi, miseros solandi, cunctasque jam florentissimae Provinciae gentes recreandi, ac reficiendi, gravissimum ac difficillimum onus committeret. Quas curas et sollicitudines hac

in re vere Christiana, et Christiano Antistite dignissima conlocâris; qui ardor in Te exstiterit ut omnibus occurreres difficultatibus, et quibuscumque modis posses, innumera mala vel pelleres, vel saltem corrigeres; quomodo alios exemplo Tuo ad misericordiam pervocâris, Principesque Viros etiam ex longinquis regionibus ad pientissimum opus excitâris, nemini obscurum esse potest, nisi si quis recentissimas, et ubicumque gentium pervulgatas Umbriae calamitates numquam audiverit. Quapropter Pontifex O.M. Te de universa Provincia, imo de Christiana Re optime meritum ad Archiepiscopalem Spoletii Sedem evexit; nec tamen Fulginatibus, quos unice adamabas, eripuit omnino. Ne-

que praetermittendum censeo, hoc Epicum Carmen olim Fulginiae fuisse, Academicorum Quietorum Hispelli cura, recusum; ut patriam ego charitatem sequi videar, cum ejus exemplaria multiplicare, insignisque Patriarchae laudes celebrare studeo. Accipe igitur lubenti animo libellum, qui nitidior et emendatior multo quam ante, meis impensis prodit in vulgus, serius quidem quam ego cogitabam, sed tamen accessione Italici Carminis nobilissimi in ejusdem Patriarchæ honorem, novo et amplissimo commentario exornati, fortasse commendatior. Fac, ut ille Tuo nomini inscriptus, sanctissimi Trium Ordinum Fundatoris augeat admirationem, et Christianae Poeseos cultum latius diffundat;

meque, et libellum tua fide et benevolentia oro ut complectaris. Valeas diutissime, optime ANTISTES, in Umbriae totius incrementum et bonum, atque ad Christianae Reipublicae decus.

Fani Kal. Sextil. A. R. S. MDCCCXXXIII.

TAURELLUS TAURELLIUS

LECTORI BENEVOLO

SALUTEM

Quid in hac novissima Francisciados editione factum sit, amice Lector, paucis habeto. Scias ante omnia velim, quater hoc opus vulgatum fuisse; primo Florentiae A. 1571.; *postremo Fulginiae A.* 1651. (*); *verum adeo corrupte, ut supra ne credi quidem possit. Quare cum rogaremur enixe a compluribus, ut per nos exiret in lucem*

(*) *Secundo prodierat Antuerpiae A.* 1572. *typis Plantinianis; tertio Rothomagi ex Officina Laurentii Mercy A.* 1634. *industria Ludovici Cavalli Galli domo Bononia in Gallia Belgica, qui, ut memorat Waddingus, (Script. Ord. Min. V. Franciscus Maurus Hispellas) cujus ille fuerat studiorum socius,* ad singulos libros argumenta, et notas marginales addidit; et in fine Operis scholia ad quorumdam locorum elucidationem, cum Periphrasium Poeticarum indice, praemissa brevi Auctoris Vita &c. *Quum autem hanc editionem invenire nusquam potuerimus, primi annotationes, quae tamen modicae fuisse videntur, nihil novo profecerunt.*

Nos Fulginatem editionem cum principe Florentina sedulo contulimus.

poema, quod raro admodum invenitur; elaborandum putavimus, quoad possemus, ut et emendatius prodiret, atque opportunis annotationibus illustraretur. Haec enim nobis fuit mens, ut et Franciscalibus hominibus, et simul juvenibus latinae et sacrae poeseos studiosis consuleretur: quorum alteri historicis praecipue annotamentis, quae vera a fictis secernerent; alteri autem maxime criticis indigebant, queis proba et laudabilis a prava classicorum imitatione disgnosceretur. Horum praesertim caussa et de Mauriani poematis natura disquisitio, et Hymnus Dantis Aligherii pulcherrimus in Divi Patriarchae honorem additus est, cum amplissimo commentario, quem excurrere identidem in plures Aligheriani poematis locos, et nova fortasse nonnulla de prima et maxima Italorum poesi praeseferre, nec sine juvenum utilitate, utrumque poema invicem comparari videbis. Quod vero annotationes in latinum poema romano, in italicum hetrusco sermone exaratae sint, hoc ideo comparatum, quod illae praesertim ad Fratres Minores, qui etiam extra Italiam plurimi vitam transigunt; hae autem ad Italicos juvenes tantummodo pertinent, qui latinam et italicam colunt poesim.

Mauri vita, quae a Francisco Rosciolo conscripta extat in Fulginate editione, nunc breviter Corneliano stylo reformata est, et ab eodem, a quo caetera quae primum nunc prodeunt, composita. Non desunt breviora Mauri poemata, quae in prioribus editionibus vulgata erant. Quod spectat ad libri correctionem, in hac operam navavit magna ex parte et Philippus Polidorius, humaniorum literarum cultor eximius, quod grati animi ergo praetereundum non fuerat.

Caeterum, in hoc evulgando libro, fortasse contigit primo, ut plusquam promissum fuerat, praestetur; nec tamen augeatur impensa illis, qui nomen huic editioni ultro dederunt.

Tu, Lector, nostros labores aequi bonique fac consulas, & valeas.

FRANCISCI MAURI VITA

Franciscus Maurus Hispelli nobilibus parentibus ortus est A. MD., ut ipse testatur Francisciados libro III. v. 684-717. Quo ex loco discimus, eum bonis literis a pueritia imbutum, latinam poesim adamasse, et voluisse jam tum Franciscali militiae nomen dare; sed impeditum a patre, quem hominem difficili et aspera natura verebatur, animi propositum ad aliud tempus distulisse, & tandem, adulta jam aetate, postquam patri justa solverat, illico incoeptum patravisse. Tunc Ecclesiasticis disciplinis operam et studium omne navavit; tantamque eruditionem est consecutus, ut doctrinae laude non modo apud suos, sed et apud exteros floruerit. Sero admodum ad intermissa diu Musarum studia se retulit, nempe, ut ipse ait ibidem = *fortibus annis Exactis, jam devexus, jam vertice canus* =. Sed pietatis studium, et christianarum virtutum amorem semper cum doctrina conjunxit; et praesertim humilitatem, modestiam, et paupertatem excoluit; studuitque quam maxime,

ut sanctissimum Patriarcham referret. Quare, ut non tantum nomine, sed re Minor esset, ab omnibus sui Ordinis dignitatibus, ultro sibi oblatis, constantissime abhorruit. Divi Patriarchae studiosissimus, ut diximus, quo illius virtutum admirationem et amorem in aliis excitaret, jam aevo maturus, epicum poema scribendum suscepit; atque in eo reliquam vitam consumpsit. Amicos habuit viros sui temporis literatissimos; in his Paulum Manutium, ejusque filium Aldum; patronum autem Cosmum Mediceum, qui magnus Etruriae Dux primus est nuncupatus, quique eum laurea donavit Apollinari. Huic epistola et carmine phaleucio, quod tertium ex lyricis est, inscripsit poema. Hoc si eo tempore nimis quidem magnifice *divinum*, auctor vero *Alter Virgilius* est dictus; nihilo secius merita ornandus laude videtur, quod christianorum Vatum fortasse primus Virgilium, et epici carminis leges aliqua saltem sequutus ex parte, viri sanctitate eximii non historiam, ut alii poetae sequioribus saeculis fecerant, sed quoddam duxerit epos. Nam multae in illo poeticae virtutes elucent; etsi non diffitemur, multo futurum fuisse poema excellentius, si pressior esset stylus, et Virgiliana commenta

non tam stricte, nec tam saepe Maurus consectaretur. Verum maxima ejus laus haec est, eum et caeteris, qui eodem in genere versati sunt, praestitisse, et ab nullo posterorum esse adhuc superatum. Obiit Florentiae in Coenobio Divini Reparatoris A. MDLXXII., ingenti laetitia, ut ajunt, propter absolutum poema perfusus. Ejus effigies egregie picta conspiciebatur in Mediceorum pinacotheca, eo statu, ut corollam a Cosmo poetarum fautore acciperet: cujus picturae exemplar se habuisse ait Waddingus. Tanto in precio humilis Coenobita, poeticam ob virtutem, ea tempestate apud Principem fuit.

XVII

DE CARMINE EPICO

FRANCISCI MAURI

DISQUISITIO

RAPHAELIS FRANCOLINII FANENSIS

AD CLARISSIMUM VIRUM SIBIQUE AMICISSIMUM

ALOYSIUM FLAMINIUM MINORITAM

Lectorem emeritum Coetus sui, Professorem Sacrae Theologiae, Conlegam quondam suum in Nulphio Athenaeo.

Cum primum Taurellus noster rarissimum jam Francisci Mauri Poema edere in lucem sua impensa constituit, ut multorum petitionibus faceret satis; meque rogavit, ut operam meam, qualiscumque ea demum esset, in hac procuranda editione conferrem; quaesisti a me, carissime Aloysi, quid de hoc poemate cogitarem: atque ego tum me responsum esse daturum spopondi, quum integrum poema legissem; namque adolescentulus, postremum tantummodo Francisciados librum cognovisse recordabar, qui italicis versibus redditus prodiit an. 1806., iterumque Romae 1823. Nunc ergo quod sum pollicitus, praesto; ac de hujusce poematis natura, quam potero, brevissime inquiram.

Ac primo videor posse asseverare, hoc Poema plenissimam esse Aeneidos imitationem, idque Mauro fixum in animo sedisse, ut Virgiliana commenta, ethnicasque fabulas in rem suam maxima ex parte transferret; licet aliquoties aliorum etiam vatum fictiones aucupetur. Quamobrem hac de caussa Maurum appellatum esse arbitror *alterum Maronem*, quod quid-

quid hic pene de suo Aenea excogitaverat, ille in Divum Franciscum convertere studuit. Quae similitudo in duabus maxime rebus apparet; videlicet 1.° in poetica machina, quam Maurus ad Virgilianae normam penitus effinxit; 2.° in vaticiniis, somniisque, per quae, ut tota de Aenea, sic de Francisco narratio exigitur. Utrum vero hoc semper in christianum argumentum apte cadat, hic praetermitto, quum isthuc amplissime in latini et italici poematis annotationibus pertractetur, ubi quid ego sentiam, ab omni animi motu vacuus ingenue profero: etenim, ut philosophus, sic criticus nihil aliud sequi debet, quam veritatem, licet in re quoque literaria odium ea parere soleat.

Sed quamquam Mauri poema meram Virgilii praeseferat imitationem, minime contemnendum esse arbitror; propterea quod nec ante illum, nec postea epicum carmen de Viro morum sanctitate conspicuo, deque re christiana optime merito plenius, ac melius, quod ego sciam, ullum adhuc compositum sit. Verum, ut in hac re modum adhibeamus, duos eligam, qui multo ante Mauri tempora hujusmodi condidere carmen, et aeque christianum heroem celebrandum susceperunt. Primus fuisse mihi videtur Paulinus Petrocorius, qui A. R. S. 460. scripsisse creditur libros sex de vita S. Martini: quod idem argumentum tractavit eodem saeculo Venantius Fortunatus, Pictaviensis Episcopus, eodem carminis genere, sed libris quatuor. Non longe fortasse aberit a veritate qui autumet, Maurum ad hujus exemplum (nam alter saeculo XVI. minus erat notus) cecinisse Divi Francisci res gestas; quemadmodum ante illum maximam erat famam consecutus Sannazarius, qui alter a Fortunato, de Partu Virginis carmen composuit; hoc tamen utrique discrimine, quod illi antiqui christiani vates a poeticis fictionibus abhorrentes, historiam solummodo fideliter erant secuti; hi contra a Virgilio carminis dignitatem, ac poeticam formam mutuati, in christianam materiem ea transtulere. Praevenit etiam Mau-

rum poeta anonymus saeculi XIII., qui vitam D. Francisci versibus exaravit, ut erant tempora, elegantibus; cujus titulus est = Legenda S. Francisci = (metro edita circa An. 1235.); principium autem hujusmodi:

Gesta sacri cantabo ducis, qui monstra domandi
Primus adinvenit, tribuitque Minoribus artem.

Sed hic, quod et proximus fuit aevo Francisci, et chronicorum simplicitatem atque ordinem secutus est, historicis potius quam poetis jure annumeratur.

Multo magis praetereundum censeo Joannem Baptistam Mantuanum, qui scripsit latino carmine Fastorum libros XII., secundum XII. anni menses digestos, in quibus ad IV. nonas Octobris Divi Francisci res gestas, perpaucis versibus, et simplici stylo tantum delibat.

Restat ut aliquid de illis dicamus, qui post Maurum in eodem genere versati sunt. Horum primus est Hieronymus Malipetrus, quem ad Mauri imitationem suum de divo Francisco poema elucubrasse, hoc mihi maximo indicio est, quod hic item, ut ille a corruptorum illius saeculi morum descriptione initium sumpsisse, ait cl. Papinius (Stor. S. Fr. L. I. cap. 1.): ego enim nec opus videre potui, utque hujus aliquod specimen mihi offerretur, nequicquam optavi, licet ubivis gentium quaerere non destiterim. Sed tacendi non sunt M. Antonii Bonciarii Perusini *Seraphidos* libri III., amplissimo Cardinali Baronio dicati, atque editi Perusiae, A. 1606. Hoc breve poema, elegans sane et jocundum, epicam gravitatem, magis quam caetera hujuscemodi, praefert; et machina praesertim poetica christiano argumento valde mihi videtur idonea: sed eo innititur facto, quod a multis quidem Franciscalium rerum historicis, non tamen a primis et sinceris, narratur; nempe Franciscum a Jesu Christo impetrasse, Deipara adstante, ut (Seraph. L. III. v. 23.)

Una dies culpas, et crimina cuncta relaxans,
Aeternas promittat opes = hoc autem jussu:
. . . . . vade ocyus, inquit, in urbem,
Et meus ut firmet mandata Vicarius, ora:

quam rem, docte et copiose, recentissime tractavit Papinius; omnemque prorsus a veritate caliginem discussit in opere, quod inscribitur = *Storia del Perdono d'Assisi* =. Bonciarius inducit primo Franciscum orantem, ut Deus O. M. e terrarum orbe vitia avertat, et postea ad B. Virginis aedem se conferentem, ubi, comitante eum Divo Michaele, oratam impetrat veniam; sed divino jussu cum quatuor sociis petit Perusiam, in qua urbe nuper renuntiatus fuerat Pontifex Summus, Honorius III. Ast Daemonum princeps, ut rem, futuram orco adeo perniciosam, totis viribus impediret, indutus os, habitumque Apostoli Petri, dormienti Cardinali Columnae se offert; eique persuadet, ut, cum maximus Pastor de tanto negotio cum purpuratis Patribus consultet, illud dehortetur; fore enim ut posthac nec Romanum Petri et Pauli Apostolorum insignissimum Fanum a Christicolis frequentetur, nec Hyerosolimitana, aut etiam Lauretana suscipiatur peregrinatio; sed populos effusos ad aedem Virginis Asisinatis semel quotannis conventuros; idque unum pro noxarum expiatione satis superque habituros. Suspensus Pontifex, tandem annuit, conspectis rosis mirandum in modum enatis; et Michael Daemonem simulata forma latitantem reperit, adulteras ei de manibus claves extorquet, et postquam cum illis eum durissime verberavit, trudit in Tartarum. Sed quamvis Bonciarii poema a machina adeo commendetur, ut in hac parte, mea quidem sententia, caeteris praestet, quaecumque de christiano argumento latine conscripta sunt; neque, ut alia pleraque ethnicam superstitionem christianae admisceat veritati; Seraphis tamen cum Francisciade comparari non potest; quum illa nec vitam, nec praestantissima Francisci facta contineat. Sed etiam Mauriana fictio, ab Aeneidos exemplo profecta, quae per totum

extenditur poema, pulcherrima quidem est, et argumento opportuna quam maxime, initio praesertim poematis. Hic enim malorum spirituum Princeps, aestuans invidia, quod Divini Reparatoris sanguine humanum genus a suis faucibus ereptum sit, quodque inter christicolas omnigenae floreant virtutes, emittit ab inferis locis Tisiphonem, atque alia pestifera monstra, quae cunctos mortales, ut antea, pessumdent.

Extant et Italico idiomate de eodem argumento conscripta poemata; quorum primum, compositum a foemina literata Catherina Ubaldinia Gabriellia, in octo et decem libros divisum, eodemque metro, quo Areostus, et plerique nostrates epici poetae usi sunt, vulgatum fuit per Fratres Volpinios Venetiis A. 1540.; de quo tamen poemate nihil pro certo possum adfirmare, quum ejus facultas numquam oblata sit mihi.

At non omittam aliud in sex et viginti libros distributum, quod prodiit Ingolstadii, A. 1639., scriptum ab Augustino Galluccio, domo Mondulfo, ex coetu Franciscalium curtatorum; cui poemati titulus est = S. Francesco, ovvero Gerusalemme Celeste acquistata =. Licet Franciscíados hoc quoque consectetur inventa, totamque sanctissimi Patriarchae vitam complectatur; nihilominus ab aevo infelicissimo, quo scriptum fuit, conjici verissime potest, quo in pretio esse debeat. Satis erit initium proferre, in quo unusquisque quamdam Goffredi parodiam videbit.

Canto l'arme mendiche e 'l Capitano,
Che 'l gran stendardo rinovò di Christo.
E invan l'inferno se gli oppose, e in vano
S'armò de' suoi contrarj il popol misto.
Molto sostenne in questo mondo insano.
Molto soffrì nel salutare acquisto:
Vinse i nemici, e sotto i segni santi
Varii raccolse, ed infiniti erranti.

Ex quibus rebus hoc mihi consequi videtur, epicum Mauri poema, sive eorum quae de eodem Patriarcha, sive quae generatim de vita viri sanctimonia excellen-

tis epicorum more pertractant, ratio habeatur, non modo negligendum non esse ab iis, qui latinam et sacram colunt poesim, sed propter tum elegantiam, tum carminis gravitatem non parvi aestimandum; quamvis perfectum ad unguem illud castigatum dici non possit.

Sed cujus tandem naturae Maurianum epos existimari debet? Dicendum est forsan, hoc esse epicum poema, grave et heroicum, qualia Homerus, et Maro ex antiquis, et magnus Torquatus ex recentioribus Italis panxerunt? Non me praeterit, quas in tricas me ipse conjicerem, si hanc rem tractandam penitus susciperem, de qua non pauca extant volumina. Hoc nihilominus arbitror posse sine dubio confirmare; Maurum unius personae, potius quam actionis ac temporis, rationem habuisse; licet in poematis propositione, unum tantummodo Francisci factum, idque praeclarissimum, sibi canendum proposuisse videatur; nempe Franciscum quinque vulneribus ad Christi Crucifixi exemplum in corpore transfixum. Sed quamquam potuisset profecto, ut ego autumo, caeteras Francisci res gestas ad illud commode contrahere, quisquis tamen poema attente perlegerit, haudquaquam illum rem unam cecinisse reperiet. Namque in extrema primi libri parte Franciscum divinitus nasci videmus, qui vitia abs terris cogat excedere; in tertio eum post memoranda visa resipiscere, cum jam sextum et vicesimum ageret annum; instituere postea coetum Minorum, qui virtutes omnes, et paupertatem maxime colentes, se praebeant aliis exemplum; tandem, legibus datis, iisque a Summo Pontifice confirmatis, atque in universo suorum concilio promulgatis, Lavernam secedere; ibi illa miranda contingere; ad suos biennio post in Subasum redire, atque inde animam triumphum agentem ad coelos transferri. Haec est summa Mauriani poematis; in quo, si caetera sint omnia, quae ad heroicum pertinent carmen, illud certe *simplex et unum*, quod in qua-

vis re ab Horatio necessario requiritur, dubio procul desideratur. Quapropter *cyclicum* quoddam poema exarasse Maurus videtur, quod nempe circularem cursum, qualis est tota hominis vita, complectitur. Sic enim nonnulli Horatianae epistolae ad Pisones, quae vulgo inscribitur *De arte Poetica,* interpretantur versum 136 = Nec sic incipies ut scriptor cyclicus olim =. Alii autem paulo diversius poetam cyclicum eum esse dicunt, qui cyclum epicum, seu cursum poeticum simpliciter, et nulla arte exsequitur, ut magis fabulator sit, quam poeta; quales, exempli gratia, sunt XV. libri Metamorphoseon Ovidii Nasonis, et ejusdem Fasti, qui ad XII. libros ex mensium numero extendebantur. Non negabo, ejusmodi etiam poemata posse cyclica nuncupari; sed scriptor, qui dicitur ad Horatio cyclicus, sic incipiebat =

Fortunam Priami cantabo, et nobile bellum =; isque redarguitur, quod tanto hiatu dignum ferre nil possit, quum ille ineptus ab initio nimium promiserit, quod deinde nequeat praestare. Et revera omnem hic Priami fortunam, secundam nempe et adversam, et bellum praecipue decem annos productum Europam inter atque Asiam, tot casibus illustre, sese dicturum pollicebatur; quod totam Priami nimirum continet vitam, immensum et rerum et temporis spatium. Maurus ergo effecisse dicetur, quod Flaccus condemnat et ridet? Respondeo, eo loco Horatium sermonem habere de poematum initiis, de quibus praecipit simplicitatem, Homeri exemplo in propositione Odissaeae; neque reapse illum rejicere cyclicum poema, sed improbare propositionem, quae tot ac tanta inepte pollicetur. Quod de Mauro omnino dici non potest, qui unam tantummodo rem se canere velle profitetur; et quamquam non omnia in unum contraxerit (quod ille haud fortasse difficulter facere poterat) non continuo dicendum est, reliqua Francisci facta nullo modo simul esse conjuncta, nec illud, quod est praeci-

puum, non esse pluries praenunciatum atque praeparatum; sed in his omnibus mirum Virgilii artificium desiderari. Cyclicum poetam fuisse Antimachum ait vetus Horatii interpres Porphirio, qui ad versum 146. Epistolae jam memoratae = *Nec reditum Diomedis etc.* = de ipso sic inquit = Hic aggressus est materiam; quam sic extendit, ut XXIV. volumina impleverit, antequam septem duces ad Thebas perduceret = cujus auctoritate quae de cyclico poemate protulimus, plenissime confirmantur. Non enim rem, sed initium tam longe petitum damnat Horatius; eumque interpretem, potius quam Acronem, sequor, qui diversas, atque inter se discrepantes profert sententias. Primum enim ait = Cyclicus poeta est qui ordinem *variare* nescit (*variare* ego scripsi pro *varietate*, quae in editis legitur sine ullo sensu), quae interpretatio mecum facit, et optima mihi videtur. Deinde addit = vel qui carmina sua circumfert, quasi circumforaneus =. Ex hac declaratione, quae placuit Metastasio, ut videre est in ejusdem annot. ad v. 136., pro cyclico poeta, ignobilis esset intelligendus. Tertio ridicule interpretatur = aut nomen proprium Cyclicus, et significat Antimachum poetam =. Postremo sic inquit = Aliter cyclici dicuntur qui circum civitates meant recitantes =; quo sensu *cyclicus* is esset, qui graece vocabatur *rhapsodus*. Quare de interprete Acrone jure optimo jam docti judicarunt, saepissime multorum esse apud eum racemationes.

Sed vel heroicus, vel cyclicus vates, vel potius utrumque Maurus dicatur, hoc parvi referre arbitramur; quum revera non jam esse Maurum culpandum existimo, quod unam actionem Francisci, eamque praecipuam canendum sibi non susceperit, vel quod non caetera omnia ad unum illud praecipuum, ex heroici carminis legibus, referenda curaverit; sed quod historicam veritatem saepius, quam fuerat necesse, deseruerit, rivulos potius quam fontes sequutus.

Haec de poematis inventione, atque oeconomia; de quibus tamen ille aut defendi, aut excusari saltem posset: neque profecto hac de caussa eum Sannazario, et Hieronymo Vidae, qui post latinas literas renatas in heroico carmine Christiano principatum obtinent, eum cedere debere judicamus, atque inter latinos recentiores poetas agere partes secundas; sed propter poeticam elocutionem, quae virtus praecipua debet esse in quovis poemate, de Mauro dici potest quod de Salio Virgilius, Aen. V. = Proximus *his*, longo sed proximus intervallo =. Duo enim in eo reprehendenda praesertim; alterum, quod plerumque caret brevitate, et Ovidiano more luxuriat, aut circa eamdem sententiam immorans diutius, quam par est, aut easdem res saepius retractans; alterum, quod insolentia vocabula temerario ausu identidem procudit, vel hausta ab impuris fontibus usurpat: quae omnia suis locis sedulo adnotabimus. Sed tamen hujusce criminis, non alterius, aliqua posset afferri excusatio, nisi Maurus in primo poematis limine lectorem subito offenderet. Primum enim occurrit pessimum illud vocabulum *astricomis*, a vocibus *astrum* et *coma* deductum, quomodo antiqui latini effecerant *astrificus*, et *astrilucus*, atque, ex cl. Furlanetti adjectione, etiam *astrisonus*; quorum si Maurus priorum alterutrum elegisset, tumida licet fuisset metaphora, unum tamen vitium effugisset. Sed nihilominus dicendum est, Maurum hac in re ab aequaevo majoris nominis poeta, nempe a M. Antonio Flaminio in errorem inductum. Hic enim non solum effinxit ex analogia vocem *floricomum*, in eo carmine quod incipit = Jam ver floricomum, Postume, verticem =; sed de hac novitate a doctis hominibus reprehensus, testimonio Horatii se fultum existimans, quam ille, latina lingua adhuc vivente, licentiam nova procudendi nomina, sumptam vero pudenter, bonis scriptoribus dederat, eamdem hic et nostris temporibus concedendam esse conatur docere, in epistola italice scripta ad

Basilium Zanchium, quae prima est in Cominiana editione. Ibi enim inquit, quomodo Lucretius cuderat primo verbum *auricomus*, et alius ex veteribus latinis *silvicomus*, itemque Virgilius *auricomus;* sic sese dixisse *floricomum:* additque, exemplo Virgilii, qui dixerat *ignipotens*, et *armipotens*, Andream Naugerium, optimum sui temporis poetam, itidem effinxisse *silvipotens*. En quo ex fonte *astricoma* Mauri *vulnera* profluxerint, qui tamen non uno aut altero insolenti vocabulo fuit contentus; sed quot ei visa sunt aut sola verba, aut etiam (quod vero rarius fecit) conjuncta, sive formae loquendi, tot hic effingere non dubitavit. Et profecto, bona ductus ratione, Maurus etiam, exornandi caussa, nova procudisset vocabula: nam si unum aut alterum effingere liceret, cur non decem, aut viginti, aut etiam amplius? Sed, hac oblata facultate, quaenam lingua latina hæc demum esset?

Vides, doctissime Aloysi, me in auctore, cujus illustrandi non invitus cepi provinciam, siqua occurrunt vitia, non ea voluisse dissimulare; atque ideo abfore a meis commentariis perpetuam illam auctoris admirationem, quæ plerumque cujusvis generis interpretes solet incessere, ut culpas etiam ei laudi vertant. Quin imo, non in annotamentis modo queis Mauri poema, verum etiam in illis longioribus, quibus Aligheriani hymni poene singulos versus prosequuti sumus, cum utrumque confero poema, & Maurianum iterum ad trutinam revoco, quid commendatione sit dignum, quid non, aperte declaro. Cur autem italicum poema cum latino conjungendum putaverim, in praefatione italici commentarii satis arbitror dixisse. Sed quamvis non omnino perfectum, neque hisce temporibus omnibus probandum epos, Maurus confecerit, quod illo aevo maxima esse constat admiratione acceptum, ac laude; non idcirco censeo, ejus lectionem parum jocunditatis, utilitatisve allaturam. Nam, praeter quam quod,

siquis ea afferat ad hoc legendum poema, quae auctor in sexto carmine enumerat, uberem ex eo fructum sane percipiet; quod certe ad Franciscales viros, ubicumque locorum degentes, et ad religiosos homines, atque sanctissimi Patriarchae virtutibus devotos praecipue spectat, iis etiam valde placebit, qui latinam amant poesim, quorum numerus non est, nec erit umquam, in nostra praesertim Italia, exiguus; cujus prae gentibus cunctis haec maxima et unica laus est, duas habuisse linguas, doctas utrasque, politissimasque, et nobilissimos in utraque scriptores protulisse. Illis autem, qui sacram colunt poesim, isthoc praecipue genus, quod homines in coelicolas relatos carmine perpetuo concelebrat, gratum sine controversia esse debet: ad hujusmodi enim carmen, aliis intactum, ut diximus, quadrat in primis illud Horatianum (Ep. ad Pis. v. 147.) *Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus*. Fieri etiam potest, ut aliquis pius, et doctus, et poeseos laude praecellens, exemplo Mauri inductus, ejusque erratis admonitus, vel eodem de argumento, vel de alio huic adfini, epicum carmen, aut latine, aut potius italice, componere aggrediatur; quo et literaria et christiana res mirandum in modum laetabitur: nam facta praeclara, omnigenaeque virtutes poetico stylo luculentissime exornatae, ingentem sui amorem atque admirationem in Christicolarum pectoribus excitabunt. Quam mentem sicui Deus O. M. injiciet aliquando, tunc laborum, quos pro Mauriano poemate illustrando non pauces suscepi, quidquid ganniant invidi, atque bonarum rerum osores, numquam profecto me poenitebit.

Epistola, qua Auctor in principe Editione opus suum inscripsit.

COSMO MEDICI

MAGNO DUCI HETRURIAE

FRANCISCUS SPELIENSIS

Officium me impulit, fidesque quam dedi olim Auctori nostrae Sodalitatis, ut consumerem omnes meas cogitationes in consiliis ipsius, factisque contemplandis, postquam me omnino parem non esse cognovi moribus sanctissimi viri, institutisque vita exprimendis; cumque totam mentem convertissem ad hanc curam, veterem exercitationem ingenii, studiumque, cui adolescens deditus fueram, totum contuli ad haec, quae animo videram, litteris prodenda. Quod si ullam in partem praestiti quod conatus sum, non me divinus ille spiritus, qui poetas ad pangendum carmen adjuvare solet, afflavit; sed alter non minor ardor inflammavit, in quo solo imitatus aliquantum mihi videor Conditorem nostrae disciplinae: ut enim ipse praeter caeteros flagravit amore verae pietatis, nullumque periculum, atque incommodum recusavit,

ut sitim hanc suam expleret (propria haec enim hominis laus est), ita ego longo tempore incensus fui justo hoc, ac mihi debito desiderio, versibus celebrandi laudes divinissimi Viri: cujus gloriae ille, dum vixit, numquam cupidus fuit, vel potius ipsam quantum potuit declinavit; ea tamen nunc monumentis commendata, proderit multum mortalibus, non paucosque ad Christum toto pectore amandum, ut ipse fecit, excitabit. Fructum autem hunc tenuem exigui ingenii mei, et ita quidem pusilli, ut ne hoc quidem, etsi non magnum opus, efficere potuerit, nisi commotum, instructumque fuisset amore illo quem ostendi, ad te mitto, Princeps optime; et quia toto animo semper Ducem nostrae familiae coluisti, et pauperes ejus sodales liberalitate tua saepe sublevasti, et mihi etiam ipsi, ut meos hos labores divulgare possem, praesidio fuisti; et demum quia dignus es multo majoribus poetarum, et doctorum hominum muneribus, quae illi passim honestissimo tuo nomini jure optimo dicant, cum ipsis valde faveas, et eorum ingenia, studiaque omni ratione exornes. Vale. Florentiae. Calendis Februarii. M. D. LXXI.

XXXI

HORTATUR MUSAM AD CANENDUM

DIVUM FRANCISCUM

Dic, Clio Ausonia, nunc mea barbito
Francisci teneros, auspice dic polo,
Vagitus; pueri dicque binominis
Pubentes genios; dic simul et viri
Aerumnasque graves, cumque laboribus
Devictis, animos haud superabiles.
Nec tu dehinc sileas, quot sibi junxerit
Heroas comites, quot pariter sacra
Tyronum cuneis castra repleverit.
Tum cantes, sociis ut dederit pias
Legesque, et monitus; et nova cinxerit
Solers praesidiis castra potentibus.
Dic armis quibus, o dic quibus hostium
Magnas saepe acies contuderit modis;
Et telis quibus in praelia tendere,
Fortis Dux, socios compulerit suos.
Dic o tandem, age, dic, alta Laverna amat
Dum solus nemora, atque antra vigil fovet
Noctes atque dies, ut latus, ut pedes,
Ut palmas jaculis confoditur sacris.
Et jam sidereis praerutilans notis,
Vectusque alituum quadrijugis deûm,
Plantis stelliferis astra supermeat;
Mox et flammiferum scandit ovans polum.

EANDEM FACIT VERECUNDAM

Ornari ne posce comas, habitumque, Subasi,
    Non parnassaei Musa colona jugi.
Imo, agedum, coetus male culta horresce disertos,
    Et contenta legi, murmura plebis ama.
Hoc nova res monet, hoc cantatus praecipit heros,
    Fas probat, et ratio, vitaque poscit inops.

XXXII

COSMO MEDICI

MAGNO DUCI HETRURIAE

Heus tu, Musa, animo (tibi severus,
Importunus, et acer, improbusque
Suasor nam modo visus) hic monentem
Rursus me placido, ac libenter audi.
Appenninigena incitus fluentis
Arnus, qua rapidis secat virentes
Campos, vir sedet inclytus, potensque.
Hunc cultus tibi nominis refulgens,
Et, qua nescia martii furoris,
Hetruscas modo latius per oras,
Sedes florida gens tenet quietas;
Sceptri regia vis, sacrique mores
Ostendent. Age, Musa, non timebis
Nasum rhinocerotis, hoc patrono.
I, cunctarier, i, vetat serena
Pax vultus placidi. Viden' faventis
Laeta Principis ora? Nil timendum.
Nil jam non aditum patentem ad altum
Recludit solium; nihil profecto
Non spondet veniam uberem futuram.
Et nunc, quid dubitas tremens, quid haeres?
Jam jam cuncta favent, simulque rident;
Cuncta protinus annuunt cupitos
Successus. Modo perge, quid moraris?
Totis aude animis: manum roganti
Extemplo dabit ille praepotentem.

AD PAULUM MANUTIUM

O fama Ausoniae, decusque linguae,
Disertissime Paule, et undecumque
Integrae specimen celebre vitae;

Ecquid, dum monumenta raptus inter
Tullî magna tui, vigil frequentes
Noctes conteris, aut graves Maronis
Perpendis numeros, senisque Graî;
Aut dum Aristotelis strues resolvis
Implexas, latebrasque perspicaci
Caecas judicio bonus recludis;
Divinique adamans melos Platonis,
Mente sidereos petis recessus:
Hispellas tibi Maurus ille, divi
Cantator pius, et cliens fidelis
Francisci, bone dic, rogo, Manuti,
Sedet jam tum animo, an procul recessit?
Et nostri te amor, ortus una, et una
Occasu invido, et invidâ solutus
Fortunâ, levis, irritusque, et aurae
Vanis lusibus incitus reliquit?
O vos ne date, dî boni, piorum
Bonis cordibus hoc nefas potiri.
Est Manutius, est pius, benignus,
Est comis; nec amantior bonorum,
Non insignior ullus aequitatis
Humanae studiis, piosque mores
Nemo cultius hoc manu tuetur:
Seu mox contuleris simul recentes
Heroas, mage seu petas repostos
Porro semideos, micantia aevi
Felicis decora, et poli beatos
Jam tum municipesque, principesque.
Tu vero, optime, candide, ac venuste,
(Sic quondam eloquii impetus suavis
Romani simul, Atticique numquam
Pectus deficiat tuum, nec almae
Unquam Castalios parare honores,
Unquam cana tibi obligare laureis
Sertis tempora desinant Camoenae)
Dic, o dic, age nunc, rogo, Manuti,
Synceram sine labe, veritatem.

Quin et consilio gravis severo,
Atque acer monitis ades roganti!
Vidisti, et memor es, reor, Camoenâ
Olim quam tenui, malus poeta,
Cantarim ipse meum patrem, beatum
Jam coeli indigetem, inclitumque civem:
Vidisti studiosius profecto,
Haud frontem caperatus, haud cachinnans,
Haud rugis tetricus rigente naso,
Sed sano, placidoque, et erudito
Actus judicio; novumque rerum
Desuetarum habitum, orsa, verba, nexus
Admirans animo, stupensque scito,
Inventum ore pium, ac recens probasti.
Ergo (nam simul hinc et hinc amici
Instant mî, stimulantque, consuluntque
Edam protinus, ac sinam beatum
Jam tum heroa legi) quid ipse censes?
Tu jam consule, tu mihi, o diserte,
O lux, o pater eruditionis,
Juge o mellifluî leporis uber;
Te quippe unum ego consulo, tuique
En dumtaxat amo, opto, posco, et oro
Planum judicii, mororque nutum.
Ne des nubivagis mea, invidisque
Vota involvier haec Notis; sed ultro
Nutanti, ambiguoque adesto amico
Felix, ac bonus, et bonas feracis
Opes pectoris effer: insuperque
Has nugas eme, garrulamque musam,
Pannosamque, rudemque, putidamque,
Non flavo, precor, aere, sed venusto
Pingues eloquio invicem tabellas,
Emptor tu modo prodigus, repende.
Et cano hic meus obstrepens olori,
Cantu raucisono lutosus anser,
Ad me fac redeat, tui leporis
Dulci nectare perlitus; reportet

Fac cycnea mele, ac simul reversus;
Assultet mihi plausibus canoris.
O tu, terque quaterque sic beabis
Fidum, candidum, amabilemque amicum:
O haec, ut rogo, Paule! da roganti,
Da te (si quid amarier vacabis
Posthac, semper amabo, et usque et usque)
Sed rursum patere, unum ego exigam abs te;
Quippe hoc insuper opto perdoceri.
Tu doce modo (scis, potes, tuumque est)
Est ne incognita posse amare nobis
Condonatum? Obiter datum profecto est:
Hoc inquis. Mihi amabitur diserti
Patris non minus ergo vera imago;
Aldus filius, eruditus, ardens,
Gravis, comis, amabilis, venustus.
At si dehinc oculis, simulque amatis
Detur colloquiis eo potiri;
Nimirum ipsum ego, quam parens tenellum,
Unicumque amet, ardeatque natum,
Ardebo mage, perditeque amabo.

AD EUNDEM

O casti nemoris cultor amabilis,
Coetus Thespiadum o fama, et honor sacri
Libethri; o tu adeo, Phoebe pater, comis
Perfulgens nitidis, et fide persona
Insignis: sed enim tu validâ minax
Hastà, atque ore potens, et dominans gravi,
O Pallas, modo dic, fata Manutium
Quid tam muta premunt? dicque silentia
Desueta unde viri? Delituit lepor
Num forte Ausonius, fluminaque Attici
Num magna eloquii jam exitio data,
Et cycnea mele, et suavisonos modos
Jam mens dedidicit, jamque situ obsita
Molli torpet iners, cumque laboribus

Sacris, deseruit Castalios specus?
At si nec scelus hoc numina praecinunt,
Non astra insinuant, fatave destinant;
Quid mî (porro alios dapsilis, et ferax
Ore ultro, et calamo laetificat gravi)
Tantum mutus, iners, asper, et horridus,
Indignansque adeo docta Manutius
Ora, heu! stipat? Et, o Paule, tuis bonis,
Cum ne hinc damna feras, me modo perfrui
Quae tanta invidia est? Haud dolus, haud scelus,
Haud meme ulla reum noxa agit. Et licet,
Et fas, jusque sinunt, sideraque annuunt
Nimirum hoc mihi. Sed dic, age, non tua,
Sed communia, quid tu modo pertinax,
Immitisque adeo parcis, et occulis?
O jam, Paule, rogo, da data, da volens,
Da gratis quod habes auspice tu deûm
Nutu. At jam cupidum si lucra te juvant,
Has nugas (gravia, aut aemula Mincio
Necquicquam canimus, Smyrnea nec mea
Clio plectra movet) nunc cape; neu rudem,
Incultam, atque humilem, putidam, et usibus
Frugi olim exiguis vix tibi, despice
Musam: quin potius tu bonus invicem
Non flava aera mihi, sed, tibi quod leve
Nimirum, ac facile est, Ausonii rogo
Da tantum eloquii suavisonum melos.

AD LECTOREM POESIS

Heus tu, quicumque es, nostrae pia carmina Musae,
Lecturus, tetricae frontis bonus excute rugas;
Pelle oculis livorem atrum, atque inamabile virus
Invidiae dimitte animo; pius, integer, aequus,
Innocuusque, et sanctus ades: modulamine sancto
Sanctus enim modo sancta cano, purusque sacerdos
Primus ego, aërei flava sub rupe Subasi,
Sacrato enumero divinos ore triumphos.

XXXVII

Nimirum agnosces, meme hic non turpe profanâ,
Obscaenumque lyrâ carmen deducere, Circo
Dignandum incesto; sed enim decora alta, per annos
Jampridem exactos, plectro memorata priorum
Nullius vatum, Musâve, aut auspice Phoebo
Pertentata olim cuiquam, jam tum altius orsum,
Pandere voce gravi; et syncero evolvere cantu
Fata Subasaei, cunasque herois, et ortus,
Et pubem, geniosque leves, et flebile funus;
Nec non quae victor pugnârit bella, quibusque
Rite triumphatum cumulârit legibus orbem.
Haec cano, per me aures hac barbitos Ausonis implet
Armoniâ populi: tu ne caperatus, et acer
Censor ades; sed mitis, ovans, hilarisque Camoenae
Plaude ultro, et risu frons laeta assultet amico.

FRANCISCI MAURI

HISPELLATIS MINORITAE

FRANCISCIADOS

LIBER I.

ARGUMENTUM

Initio facto a propositione Poëmatis, primo sibi divinum Spiritum advocat, deinde almum Heroem, inopum ducem = 1 = 22. Sed antequam Divi Francisci res gestas commemorare incipiat, inde repetit, quum Apostoli orbem terrarum inter se partiti, Christi nomen quovis gentium nuntiaruut = 74. Quam ob rem saecula multa felicia volvuntur, quibus religio, sanctique mores colebantur; et alia itidem, ut illa, saecula successissent, nisi rex Orci, invidiae stimulis accensus, pestifera monstra ab oris Stygiis emisisset, quorum dux Tisiphone furialia scelera suadet = 180. Tunc pessima vitia Christicolas invadunt, ambitio, avaritia, luxuries = 212. Tandem initio saeculi duodecimi, tot tantorumque malorum finem omnipotens Pater dare parabat; quod et animae piorum in coelum receptae, et divorum Alituum agmina jamdudum orabant, moram querentes=241. Praecipue Michaël comites hortatur, ut, non abnuente Superûm Rege, Erebi monstra denuo contundant = 304. Idem alloquitur Dei Filium in

eamdem sententiam; oratque ut tandem veniat Heros promissus, qui scelera mundo expellat, referat virtutes, et paupertatem unice diligat = 347. *Dei Unigena vetat coelestes Aligeros cum Erebi monstris confligere; nuntiatque ortum Francisci, et quantus hic olim futurus sit* = 431. *Quae Dei verba plausu atque hymno Coelicolae excipiunt* = 488. *Interea Francisci adhuc puelli mores haud laude digni se produnt, ingenium vero mitissimum* =507. *Sed Tisiphone, sciens adesse tempus, quo gens aurea exsurgat duce Francisco, ut tantam ab Orco cladem avertat, et Franciscum exterminet, corda hominum implet furoribus in arvis quae Tiberis secat, et mons Subasus opacat, ubi quietae habitant gentes* = 626. *Caussa belli Assisium inter et Perusiam, Macherius ex tellure Subasia, qui Perusinos ad luctam lacessit, et Barcontem interficit* = 698. *Socii Barcontis illi succurrunt, et pubes Subasia Macherio: pugnam acrem immiscent utrique armis agrestibus; hinc inde occumbunt frequentes* = 739. *Perusini, hortatu Tisiphones, Subasidas perdere constituunt.*

ASTRICOMIS Heroa manus, thoraca, pedesque
Vulneribus fossum, qui flava e rupe Subasi,
Ore tubaque canens, mille indiga ad arma vocavit
Agmina, et ad vitae melioris compulit usum,
Mens canere ardet. Amor divûm, levis Aura, canenti
Pande ortus, obitusque viri, saevosque labores:
Et quoquemque modo subiit, quibus obvius illis
Ultro ierit telis, qua spe discrimina tandem
Angusta intrepidus vitae tentarit egenae.
Tuque idem alme Heros, inopum Dux inclyte, seu jam
Sanguineis ardentem astris te, sede corusca,
Flammantis regio coeli tenet ima; Volucrum
Qua, Patris intenti jussis de more supremi,
Aurea tecta colunt coetus, quot volvit arenas
Occanus, pennis acti pernicibus omnes,
Omnes stelliferis evincti tempora sertis;
Sive tibi evecto patuit sublimior aula,
Bisseni Heroes qua, terrae Erebiqe tyrannis
Devictis, bissena alte statuere trophaea;
Da bonus auxilium, da me, pater, aequore vasto
Currere iter coeptum, atque audacem remige puppim
Allabi dextro, et portu se condere amato.
  Postquam Rex superûm, magni Patris una propago,
Aethere delapsus, latuit mortalis in alvo
Virginea, et primis vagitibus impulit auras
Vitales; dehinc vir, transverso brachia ligno,
Atque ambas fixus diversa cuspide palmas,
Et malo ingenti corpus protentus, acerbam
Mortem obiit (scelus infandum!) pro sontibus insons,
Ut pius antiquam labem, mortalibus aegris
Concretam ablueret; neu jam ultra admissa prioris
Furta patris luerent morte exilioque nepotes,
Sed tandem exempti vinclis et carcere caeco,
Aethercam laeti ad sedem, et patria astra redirent;
Conveniunt simul Heroes sub paupere tecto

(Parva manus, neque enim bissenis amplior) omnes,
Quos, dum nodosis circumdant retibus undas,
Captivosque trahunt scruposa ad littora pisces,
Rex pridem bonus ipse opera ad majora vocarat.
Tum laeti eximio sortitus munere tanti ,
Consilia inter se vario sermone volutant,
Quid faciant, quibus auspiciis, quove ordine coeptam
Instituant vitam, quibus ipsam legibus ornent,
Explorant, simul ambigua ac diversa loquentes.
Praecipue vero chari praecepta magistri,
Multa diuque agitant, iterumque iterumque revolvunt.
Quippe illum observant animis, ipsumque verentur
Absentem, immani pridem quem funere raptum
Deflerant, vivumque iterum quem tertia vivis
Reddiderat croceo surgens Aurora cubili ;
Quem saepe aethereo fulgentem lumine et ipsi,
Os humerosque deo similem, inspexere paventes:
Quin etiam coram simul audivere loquentem
Attoniti , nec jam dictis mortale sonantem.
At vero e numero tum visa avertitur unus,
Scrutarique audet manibus sacra vulnera; moxque
Ut tetigit, sensitque hominem, manifestaque veri
Ut Ducis emicuit facies , et nota per aures
Vox iit, increpitat : Deus , o Deus (ac simul ore
Incurvus prono exclamat) meme ut mea fallit
Mens laeva, utque animum diversum agit avius error!
Et tamen ora modo defleti viva Magistri
Nosco equidem, nosco divini lumina vultus;
Et multa incusans, scelus exhorresco profanum.
Ergo ubi summa diu ac multum res acta per altos
Sermones, tandem Regis memorabile nomen
Constituunt late magnum deferre per orbem,
Et canere ignotos populis , et pandere ritus.
Haec animis nunc has nunc alternantibus illas,
Una viris adeo potior sententia visa est.
Haud mora: se se operi ardentes, operisque labori

Accingunt: nec jam longo post tempore, magno
Orbe pererrato, nomen fulgebat amatum,
Perque urbes, perque arva volans, perque atria regum,
Et jam flammifero vultu, rutilisque quadrigis
Alternis varias lustrante Hyperione terras,
Plurima curriculis ierant felicibus acta
Saecula: vitisator pacatis qualia regnis,
Haud dederat primis Saturnus gentibus olim,
Non Janus pater, occipitis non lumine frontis
Viderat; horrisonas quamquam jam, cardine verso,
Bellorum portas ferro gravibusque catenis
Clauserat, injectoque in vincula saeva furore,
Insuper et vectes, aerataque robora centum
Obdiderat, se se custodem liminis addens.
Interea gentes, solidis quas maxima late
Fert humeris tellus, quasque ambit gurgite Nereus
Fluctivago, securae adeo felicia quondam
Saecula multa itidem, cursu ventura perenni,
Expectare audent: nec deteriora quietos
Gaudia concipiunt, spondentque futura per annos.
Nec vero in tantas frustra spes numina votis
Sancta accersissent, precibusque ea munera cassis
Optassent, populos late ni jam undique Erinnys
Obsedisset atrox, perturbassetque beatos.
O Superûm pietas! o caeca, atque inscia rerum
Corda hominum, sic prorsus hebent? sic fidimus ultro
Fortuitis? heu! nos passim mutabilis aevi
Sic infelices alterna eludit imago?
Ergo hic una hominum facies, amor omnibus unus
Relligionis erat; sanctosque in pectore mores
Cana fides, castusqe pudor servare docebat
Puros tunc Mystas: per quos extrema recedens
Justitia, et terras linquens, repetebat Olympum,
Aureaque immiti cedebant saecula ferro.
Heu! namque immanis rex illaetabilis Orci,
Antiquum exercens odium, invidiaeaeque cruentis

Accensus stimulis, invisum effundere in orbem
Jam scelerum innumeras facies, et mittere saevas
Ad superos pestes stygiis properabat ab oris:
Quae laetas non ante auras, non sidera coeli
Lucida, non rutilam spectarant lampada Solis;
Vel cum terrigenas manibus rescindere coelum
Aggressos Titanas, et impia bella minantes
Caelicolis, Pater omnipotens per nubila densa,
Fulmine contorto, fumoque involvit et igni.
  Jamque aderat funesta dies, qua dira cruentis
Tisiphone manibus, colloque et crinibus atris
Stridentes implexa angues, facibusque coruscans
Fumiferis, Erebi vasti illaetabile regnum
Liquerat (insuetam requiem dux efferus Orci,
Et poenas animae sontum obstupuere remissas)
Monstrorumque ferox comitatus, et agmina dirae
Adsunt saeva duci: nam quicquid Tartarus ingens
Terrificum gignit, quicquid lugubre sub undis
Luctificis Cocytus habet, jam luminis oras
Occupat, et late aethereum simul inficit orbem.
Horrida Tisiphone, signa exitialia dextra
Lethifera attollens, infert dux praevia se se,
Et monstra exacuens ciet, et furialia suadet
Hortatu ingenti scelera, atque exaggerat iras.
Ultro adsunt animosae acies, et dicta facessunt.
Jamque adeo late, obscura sub nocte, per agros,
Perque urbes passim, per compita, perque domorum
Tecta, insultantes, feralique ore gementes,
Terrorum facies visae auditaeque volantum.
Scilicet hic fremitus imitantur voce ferarum
Terribiles; illic immani corpore foedas
(Quas olim, mundi vasta sub mole nocentes,
Primigenae coelo ejecti duxere volucres)
Ostentant formas vulgo, et mortalibus aegris
Turbatas pavida mentes formidine quassant.
Namque, ubi non turpes Sphynges? non Gorgones atrae

Improviso astant? ubi non Lernaea repente
Sibilat Hydra, caput numeroso vertice tollens?
Emicat hic, immane fremens, ardensque Chimaera;
Illic assurgit vasti Cyclopis imago;
Hic canis ore triceps; illic dat Scylla biformis
Inguine latratus: tum vulgo horrentia monstra
Mille alia aethereas complent terroribus auras;
Et quae saepe, metus natis impune parantes,
Componunt matres obscoeno corpore, seu quae
Parietibus pictor, tabulis seu ponere suevit.
Praeterea, quibus ad fauces atque ostia mundi
Tartarei cecidit sorti custodia, pestes,
Luminis invisi nitida regione potitae,
Una omnes (scelus!) unanimes pervadere gentes
Festinant, pariterque observantissima recti
Corda hominum tacite invertunt, animisque venenum
Vipereum subdunt. Immanior omnibus, ante it
Praecipiti dux una alias impulsa furore,
Cervicemque tumens, irarumque ignibus ardens.
Nempe haec, cum Genitor superûm vix prima recentum
Molitus rerum, magnique exordia mundi,
Astrigerum valido firmasset cardine coelum,
Affigens rutilos septenis orbibus ignes,
Cuique suum; cum vix terram librasset, et undas,
Atque ignem, et liquidum circumfudisset inane;
Agmina Coelicolûm ter trina, recensque creatum
Alituum vulgus, mentes sine corporis usu,
Aggressa, imperio Regis desciscere ab alto
Impulit aetherei, et coelum quatere omne tumultu,
Fraternisque armis. Ah! gens male suasa, Triones
Quid super Arctoos animis molire triumphos?
Quid struis invitis sedes super ardua fatis?
Et nunc ergo acies pariter collecta sororum
Pone subit. Bacchans, et scintillantibus ardens
Irâ oculis, it prima duci comes addita magnae,
Qui cum diversis manibus Discordia binos

Attollens gladios, partitur lacta labores.
Tum vero ambabus regnandi insana cupido,
Hortatrix scelerum pollens, et saga malorum,
Nil abitum differt: placidum nil mollius urget,
Cunctantemque senem, ventum ad praetoria donec:
Moxque introgressis primum ut data copia fandi,
Occupat intrepidus puer, atque his vocibus infit.
Justitiae columen, speculatorque optime caulae,
Non sorte has sedes, non haec sacra limina adivi,
Coelicolûm meme nullius numine agente:
Consilio feror, atque animo succedo volenti:
Et me jussa deûm, reor, et bona sidera ducunt.
Principio ne tu, Praesul venerande, movere,
Quod rudis, et nondum juvenili robore firmus
Ausim ego te coram (nec me reverentia patris
Ulla vetet) prior insuetas deferre querelas.
Nam me causa potens facti, et bene conscia virtus,
Exardensque animus, sanctoque agitatus amore;
Nec non et simplex, atque intemerata voluntas
Compellunt; coguntque meis pro casibus ultro
Pauca loqui, et magnam brevibus rem pandere dictis.
Hic vir, hic est, cui me voluerunt numina natum
Esse; neque erubui tali genitore; neque ille
Dissimulans, meme dudum genuisse negabat:
Dum mihi par animus, dirâque cupidine capta
(Qua nunquam non ipse volens ignescit, et ardet)
Mens erat, et lucris haesit male suasa profanis.
Cum vero humanis rebus, jussisque paternis
Posthabitis, mandata sequi divina pararem,
Contemptisque opibus, coelestia quaerere regna;
Mox amens animi, furiarum exaestuat atris
Ignibus; atque apro trajecto haud mitius ardens,
Me petit, increpitatque acer, probrisque lacessit:
Vixque manus cohibet; saevos vix continet ungues,
Quin foedet vultus, laceros quin dissipet artus.
Praeterea, vix digna sacri casa nomine templi,
Semirutisque ferens muris nutantia tecti
Culmina, praecipiti stabat male fida ruinâ.

Hanc equidem jussu divûm instaurare parabam.
Sed quid ego? Haud tantum nostro contenta labore
Res erat haec: poscebat opem, poscebat et aeris
Auxilium: nihil est visum opportunius, unde id
Expeterem, quam patris opes, penitusque repostum,
Infossumque aurum. Accessi, dextraque reclusi
(Suasit enim divinus amor) partemque revelli,
Torpentem longos, desuetamque usibus annos.
Hic furit, et totas irarum effundit habenas.
Continuoque: i, raptor, opum, procul, i procul, expers
Nostrarum (exclamat) sortisque, domusque paternae,
I procul, immunis; nec spes erit ulla regressus.
Haec causa accessus: hoc te, pater inclyte, posco
Teste ratum fieri: nostris precor annue votis.
Nulla mora est in me, nihil est quod dicta retractem.
Cedo bonis, ac sperno libens modo cuncta: relinquo
Praedia, rura, domos, fundos, lucra, foenora, merces.
Imo agedum, vestes (nec erunt dispendia tanti
Haec mihi, quin ausim coram me prodere nudum)
Has cape: neve animo trepida, ne, magne, recusa,
Ne cunctare, senex; cape: reddo, atque exuor ultro.
Fervidus haec jactat; tum Regem affatus Olympi:
Sume (ait) o divûm Pater, ac Sator optime rerum;
Qui jam primaeva nascentis origine mundi
(Cum sol, atque dies vix primi, luce recenti,
Jam tum effulsissent, et pictae sidere noctes
Alternis issent vicibus, tenebrasque dedissent)
Primos gentis avos nostrae, duo germina tantum,
Postquam divinae violarant foedera legis,
Auricomos inter lucos, se fronde tegentes
Consuta, vocemque tuam faciemque trementes
Spectasti, et miserans nudos heroas, amictu
Semideos primo velasti protinus ambos;
Adspice me coram genitore, et praesule magno
Nudatum. Pater ecce mihi jam denegat omne
Praesidium: nulla hic frondes quae suggerat arbor.

Jamque urget pudor. O tu, qui vaga sidera torques,
Floribus exornas qui versicoloribus agros,
Da rude, da lacerum, Genitor mitissime, textum
Da (non magna peto): tyrius puerilibus annis
Sat mihi notus honor, rutilo sat fulsimus auro:
Hispida nunc, attrita, rudis, satis una superque
Laena: tegi contenta, ornari membra recusant.
Da Pater ipse mihi, Deus idem solus, et Auctor.
Sic orans, torto vestem diffibulat auro,
Denudatque artus, sternitque ante ora parentis
Purpuream increpitans clamydem, nudusque refulsit.

FRANCISCI MAURI

HISPELLATIS MINORITAE

FRANCISCIADOS

LIBER V.

ARGUMENTUM

Antistes Assisinatium blande solatur Franciscum, qui rudi agresti hominis texto se contegit; idque amatae Crucis forma laetissimus insignit = 1 = 80. *Idem antistes magnum Francisci animum admiratur; et quid hoc praeclarissimum ejus factum portendat, divino numine repletus, manifestat* = 140. *Vulgus illa de re diversas profert sententias, quas omnes Franciscus contemnit* = 168. *Sed dura novae vitae sumit exordia. Namque Erebi monstris asperrimum bellum indicens, et sese continuis poenis exercens, exuit labes concretas: templa conlabentia, et divinum cultum instaurat* = 247. *Tum, data occasione, homines a vitiis absterrere gravissimis verbis conatur* = 386. *Quapropter eum cuncti reverentur; sed ille hominum aestimationem nihili facit* = 402. *Per haec tempora Bernardus Quintavallensis, cui mirificum visum noctu apparuerat, Francisco se primus addidit socium* = 770. *Idem, divino numine admonitus, vendit omnia quae possidet, eaque pauperibus distribuit.*

PRAEBUERAT justis Praesul justissimus aures
Intentas pueri dictis ; pariterque querelas
Turbidus ingratas, castasque probaverat iras.
Ergo odii (neque enim tantum insatiata cupido
Tum primum manifesta, olim sed cognita vulgo
Patris erat) causae increscunt: simul effera cuncti
Facta indignantes senis execrantur avari ;
Totaque mussantum variis strepit aula susurris.
Praecipue vero turbato pectore magnus
Increpitans Praesul, facinusque exosus iniquum,
Illum ipsum incusat, dictisque incessit amaris.
Contra animo facili, et magno complexus amore
Prosequitur puerum, consolaturque pudorem.
Nec minus illum ardens virtus, et jam agnita plebi,
Et nomen nil laudis egens, moresque viriles
Tutantur, placideque fovent, et honoribus augent.
At postquam contemptor opum, contemptor honorum
Franciscus media nudatus restitit aula,
Obstupuit magnus primum, obtutuque sacerdos
Ora solo defixa tenens, immobilis haesit.
Ut vero excussus stupor, et lux reddita menti
Emicuit, casu indoluit, seseque morantem
Incusans, late extemplo pia brachia pandit,
Protenditque manus, et sacro tegmine nudum
Excipiens, clamydis puerum circumtegit umbra.
Qualis, forte rapax vacuas dum circinat auras
Milvius, implumes foetus cristata volucris
Mollibus obnubit pennis, crepituque cohortem
Imbellem ciet, et rauco canit ore receptum.
Tum vero (id nec sors, alta sed mente premebat
Sic Pater aethereus; divini is numinis ordo)
Improviso, annis, seraque aetate colonus
Jam gravis, ad notam quem cura advexerat urbem
Sollicitum agrestis, coram affuit. Ergo ubi nudum
Hic puerum adspexit, facinusque exterritus ingens

Devovit, mox ipse suis rude tegminis aufert
Ex humeris textum: Tuque, o puer, effera quem vis
Nescio quae nunc urget (ait) cape laetus amictum
Hunc, mihi qui superat: mollis tibi carbasus esto.
Haec memorans bonus agrestis, simul horrida nudo
Tegmina conjecit: sed enim meliora sacerdos
Continuo afferri jubet, increpitatque, vocatque
Nunc hos, nunc illos famulos, urgetque morantes.
Franciscus vero donum laetabile agrestis
Accipit; et formâ quamprimum insignit amatae
Texta crucis, consuta deinc simul aptat habenda
Tegmina dura sibi: rigidam tum pectore laeto
Complectens laenam, his dictis affarier infit.
Ut te Acheronteis performidabile monstris,
Coelicolûmque animis jucundum et amabile signum,
Accipio, veneror que libens! Ut me, bonus olim,
In te, hominum divûmque Sator, quod pertulit, aere
Supplicium juvat, et saevos meminisse dolores!
Te poena informi, te longo mortis hiatu,
Difficilique obitu quondam mulctare nocentes
Assuetum, horrebant homines, probrisque notabant.
At modo numem habes sanctum; tibi gloria passim
Personat; ingentes vulgo dicuntur honores:
Sternuntur que tibi gemmis auroque micanti,
Supplicibus gentes manibus. Tu regibus altos
Inserpens decoras apices: tu praevia coeptis
Norma hominum fulges: itidem tu rite secundas,
Successusque alis, et laeto das fine potiri.
Ergo ades, et nostris felix adjungere coeptis,
Jam pridem optatum, et precibus mihi saepe petitum,
Quaesitumque diu, et tandem nunc rite repertum.
Tuque adeo rudis, et tergo vix commoda laena
Jumenti vectantis onus, quam mollia nostris
Donatura venis humeris gestamina, quam me
Ipsa juvas, nostros artus quam lenis obibis!
Hinc ego nec mallem sarrano effulgere textis

Murice conspicuis, lentoque rigentibus auro!
I, nec Aracneo es, Phrygio aut cessura labori:
Nunquam succedet mollis tibi carbasus haeres.
Sed jam, age, laeta sinu duro me conde volentem.
Dixerat, et nudos pariter velaverat artus.
  Hic vero (litemque novam, insuetumque tumultum
Spectatum e populo coetus convenerat ingens)
Infremere una omnes, detestarique profani
Crudelem sceleris faciem, casumque nefandum.
  At praesul (mentem aethereus vigor occupat olli,
Praesagusque animus sacrato in pectore sidit)
Talia divini nequicquam expertia nutus
Esse ratus, puerum secum nil vile putantem,
Nil mortale animo versantem, his vocibus ambit.
  Quis te, magne puer, quis te deus urget ab alto?
Quae tibi contemptum rerum hunc modo numina suadent?
Unde amor hic? quae tanta animum causa incitat? aut
Spernacem vis fecit opum? Mercede labores, (quae
Dic, qua nunc acres vitae solaris egenae?
Qui te adeo modo texta juvant horrentia, pridem
Mollibus assuetum? Poteris ne haec tegmina laetus
Ferre diu? an tristem mox coepti poeniteat te?
O ubi nunc tyrio fulgentes murice vestes,
Maeonioque illusae auro? aut ubi semper ad annos
Delecti, justique sinus? visura paratus,
Solemnesque dies ubi tantum purpura? ubi usus,
Et variatus honos, alternatusque coloris?
En tibi cuncta jacent pedibus despecta sub imis.
At non haec temere, aut certo sine numine divûm
Eveniunt: bonus aetherei sed Rector Olympi
Talia demittit. Nosco modo visa repente,
Quae dudum arcanâ penetralis sede recondo
Dum meme ipse volens, coeli de parte serena
Ostendit Genitor divûm, tonitruque sinistro;
Et non obscuro sonitu vox acta per auras
Detulit in terras, manifestoque omine sanxit.

Nosco equidem (me numen agit) quid monstra futurum
Portendant; quid rite ferant; quid nutiet ardor
Hic novus; unde animi tanta haec fiducia surgat.
Scilicet innumeras, duce te, puer inclyte, gentes
(Haud longum) adspicio nova ad arma coire, novisque
Moribus addictas, cultusque, habitusque, laboresque
Appetere insuetos, et te tolerare magistro
Militiae casus, et duri praelia martis.
Tu tamen interea (seu laeta insignia ductor
Immensum egregius longe lateque per orbem
Attollens, crebras acies ad castra vocabis
Indiga; seu celsus suggestis, voce rebelles
Mulcebis valida populos, et pectora dictis
Dura hominum finges) nostram ne desere plebem;
Neve lares patrios avertere; neve Subasi
Pascua laeta fuge: at mecum miseratus inertes,
Ignarosque viae, nostros invise colonos.
Imo, agedum (quamquam decus immortale futurum
Conciliis divûm, coeli te sidera poscunt)
Ne properes terris excedere: tarda sed adsit
Sublimem quae te magno lux donet Olympo.
Ede sacros populis ritus, praecepta salutis
Ede prius; quae turba sequens non rara, per annos
Perpetuos, toto felicia saecula mundo
Condat, et ignotae virtuti instauret honores.
Tum vero, tua composito non praemia deerunt
Certa tibi; nec durorum promissa laborum
Palma aberit; quae fixa manent, immotaque servat
Astra inter Pater aethereus: jam tum unde vocari
Assuesces votis; et templis rite dicatis,
Ipse aderis sidus praesens mortalibus aegris.
Talia fatidicus praesul canit: ille canentem
Nescit, et objectos simul aspernatur honores.
Interea vulgus totam rumoribus urbem
(Scilicet insomnem crepitantibus alta domorum
Tecta super Famam pennis egisse volatum,

Et grave nescio quod crebro ingeminasse loquaci
Murmure, Francisci claro sub nomine, factum
Audierat) variis permiscet: ubique tumultus,
Rumor ubique sonant. Narrant hi praesule coram
Ut puer exuerit chlamydem, utque aptarit amictus
Ipse sibi horrentes, atque hispida tegmina nudis
Artubus; ut sese sortisque, domusque paternae
Fecerit immunem; spretis ut cesserit una
Sponte bonis: mirantur opum, mirantur et auri
Contemptorem alii; vitae mirantur egenae
Unde animo desuetus amor, tristisque cupido.
Praecipui vero, et quorum pietatis imago
Corda movet; patris vesanas acrius iras
Incusant, auroque haud exsaturabile pectus.
Sunt et qui puerum (nempe hos agit effera Erinnys)
Atracia furiatum arte, Aeaeisque venenis,
Amentemque animi credant, ridentque furorem.
  Ille autem largo divini Numinis haustu
Jam tum adeo expletus mentem, jam turbine rerum
Quassatus nullo, aut caecis erroribus actus,
Arce sedet summa; et vitio sublimior omni,
Degeneres hominum curas, vanosque labores
Despicit, atque animo placido spes ridet inanes:
Nec quae fama canit, nec quos per compita vulgo
Dant turbae plausus, arrectâ percipit aure.
  Ergo dura novae tum primum exordia vitae
Molitur, tentatque ultro, bellator in armis
Insuetis tener, insuetae certamina pugnae.
Pectore ceu nondum rutilo fulgore comanti
Terribilis, nec dum magno litus atra cruore
Caspius ora leo, tenero tener imbuit iras
Sanguine primaevas; animos dehinc vivida magnos
Attollens virtus, caedem indignatur inertis
Quadrupedis, poscitque pares, hostesque feroces:
Sic puer intrepido primis congressibus audax
Sese corde infert: nec quae graviora parantur

(Quippe truces Erebi, monstra exhorrenda, colonos
Ipse sibi, generique suo, stirpique nepotum,
Si qui olim adveniant, acres jam fecerat hostes,
Relligione sacra, Superisque in vota vocatis,
Rite inimicitias, pariterque odia aspera firmans)
Bella timet: quin ultro audax, animisque superbus,
Haud ullis cessura malis, ullisve periclis
Corda parat; non assultus, non tela, nec ullas
Vitatura vices: quamvis horrentia surgant
Praelia, et insani subeat mavortis imago.
Jam vero ex illo, tantis intersita coeptis
Nulla quies; non parva quidem mora temporis usquam
Assiduos pueri potis est mollire labores.
Tristibus omne aevum studiis addicit, et omnes
Corporis atque animi cultus: amat aspera quaeque,
Laeta fugit, jucunda odit: nec ludicra mentem
Ulla movere queunt, illabi aut sensibus imis.
Tantum autem separ, divûm sacra limina visit:
Perque urbem, lucosque sacros, locaque horrida du-
Sic ubi templa jacent magnis eversa ruinis, (mis,
Mox adit, et gemitu nemorum altá cacumina quassat.
Praecipue vero flavi sub vertice montis
Sive antrum horrificum, nigrae sive ilicis umbram
Nactus, saxa piis, et duras vocibus ornos
Mulcet; et Alituum genus ad nova carmina sistit:
Auroramque illic, nigris dum surgit ab Indis,
Et Phoebum, Hesperio bijuges dum gurgite anhelos
Proluit, immunis cereris, dulcisque quietis,
Saepe videt; totumque interdum ex ordine mensem,
Sub dio, invictus, patulave sub arbore vitat
Aestum, hyemenque acrem; quaque alta silentia sua-
Aut spelunca horrens, usta aut deserta locorum. (dent
Hac puer ingressus, voces ad sidera jactat
Luctificas; gemitusque graves, lachrymasque profun-
Multa luit, tristique volens admissa dolore (dens
Peccata incusat; divinaque numina votis

Supplicibus testans, veniam, pacemque reposcit.
Quales praerepti mater cum funera nati
Tristia componit, defletaque membra supremo
Acclinata tumulo, luctus exterrita fundit;
Et nunc magna amens dictis incusat acerbis
Numina, languentes frustra parentibus ulnis
Nunc legit amplexus, frigentiaque oscula carpit:
Tales ingeminat fletus, noctesque diesque,
Franciscus moerens, et questubus implet amaris
Aethera; mens donec crebris exercita poenis,
Concretam labem, et dirae contagia culpae
Exuat, et sensus puros, animumque reducat
Ignibus aethereis flagrantem, et luce coruscum.
Et jam flammiferis Cancer bis fervidus astris
Expulerat, bisque ad nigros remeare nitentes
Jusserat Aethiopas Phoebi, de more, quadrigas;
Et bruma exhorrens bis nostrum exusserat orbem.
Nec vero interea Franciscus deficit ulla
Fortuna infractus, fessusve labore: sed ultro
Instat agens, durisque malis sese obvius infert;
Usque adeo obnixus non cedere casibus ullis;
Nec turpi dare terga fuga, aut se vertere retro,
Donec mortales vigor igneus occupet artus.
Ergo animo exardens, nequicquam absistere coeptis,
Nequicquam ingentes operum exhorrere labores.
At praerupta aevo, desertaque templa ruinis,
Atque intermissos cultus, et sacra deorum,
Ignotasque aras, ignotaque numina curà
Praecipuà insequitur, meritosque instaurat honores.
Proinde autem nec magna humeris vectare per urbem
Saxa piget, perque umbrosas excidere silvas
Ligna, suburbanisque advolvere grandia templis.
Tum coetus si quando inter, mediusque frequentem
Conventum adstaret populi, mox aggere capto,
Suggestuve alto tripodum, (turbam eminus omnem
Unde oculis legere adversam, atque agnoscere posset)

Talia fundebat dictis, populumque monebat.
O plebs, o dives proavis, animisque juventus
Vivida, quae generis vos tanta oblivia vestri
Fecere immemores? quae nunc divortia regnis
Abjungunt superûm? cognatae spernitis ultro
Gentis amicitias? patriique alta atria coeli
Linquitis aversi? O quo vos dementia captos
Caeca trahit? quo foeda animis illapsa voluptas
Abducit? quantos, heu! sensibus implicat imis
Furtim ignes, quantis perfundit corda venenis!
O cives, cur nulla boni vos cura supremi
Pertentat? Magni quin vos solia aurea coeli
Jam tandem adspicitis, desertasque aetheris oras,
Quas divûm Pater, infidis ex arce colonis
Dejectis summa, vobis transcripsit; et ultro
Jam tum hominum stirpem primis delegit ab annis
Haeredem; et generi deberi sidera nostro
Constituit, mortalesque immortalibus addi?
Et tamen (ah scelus!) haec, o cives, spernere dona
Non pudet? abnuere haec audetis munera? coeli
Hospitium tanti, tanti aurea penditis astra?
Vos ne ea cura poli tenet, is rapit ardor Olympi?
Coelestis memores doni sic gratia vestros
Tanta animos fecit? sic vos in foedera divûm,
Sic in amicitias, sic itis ad aethera? summis
Coelicolis hominum sic vos juvat addere gentem?
Pro dolor! ignarique boni, ignarique malorum,
Quo ruitis? Quin, praecipites laxata quadrigis
Insanis quo lora trahunt, modo cernitis? Ah! mox
Supprimite, audacique manu reflectite habenas.
Blanda voluptatis captivo vincula collo
Excutite; et laetas mentes attollite coelo,
Unde animis genus, unde hominum spes certa salutis.
Exuite, ah! torporem, et jam defendite longe
Cordibus insanos ignes, et carmina vestris
Colchica: Circeae quamprimum linquite terrae

Crudele hospitium ; miscens ubi dira venenis
Pocula tartareis , et sacro murmure adurens ,
Vos hominum ex pulchra facie, illaudata Voluptas
Induit in vultus , et tergora saeva ferarum .
Jam vero (ne ficta loqui , ne ludicra credar)
Huc primum , huc acies advertite luminis ambas.
  Hic alte tumidam cervicem attollit ; Olympo
Aequat sese animo ; quid fas , quid jura monendo
Edicant , nescit ; coeloque irascitur alto .
Ecquid mentis eum , et divini creditis haustus
Consortem , aut irâ potius , fremituque leonem
Raptantem immani libycos armenta per agros ?
Hic struit insidias auro, semperque rapaces,
Semper inexhaustos opibus praepandit hiatus .
Coge pecus; tege, pastor, oves: hominem exuit ille,
Jamque immane ululans , lupus insidiatur ovili.
Ille in concubitus, veneremque obscenus in atram
Solvit marcentes artus : sic terga palustri
Non ne volutabro sus horrida vertere suevit ?
Ille piger somno indulget , lentusque veterno
Torpet : eum obtusum cur non fateamur asellum?
En furor hunc ardens, subitaeque agit impetus irae,
Igne micant oculi , scintillantque ora : quid ultra
Fulmineumque aprum, turpem aut mirabimur ursum?
  Sed rerum quis erit modus? aut comprendere dictis
Quid certis nunc conor ego? Astrorum ignibus aether
Quot micet insignis ; devexo a vertice nubes
Quot niger auster agat (nostri dum sidera coeli
Condit , et Aethiopum soles de more serenat)
Ante equidem explorem, et certo prius ordine discam,
Quam monstra evaleam, et foedas percurrere formas,
Vos quibus immutans , superinduit effera Circe .
  Ergo, agite, astra animo, moneo, affectate volenti,
Dum vacat, et Genitor superûm pacatus Olympo
Clamat ab aethereo , vosque ad solia aurea coeli
Compellit; dumque ille hominum Sator, atque Potestas

Intemerata Patris, naturae Inventor, et Auctor
Vos (malo ex alto pendens, et brachia late
Arduus attollens; sed mutua ad oscula prono
Ore, in complexus ultro ruiturus amicos)
Voce vocat magna, coeloque invitat aperto.
Quin etiam horrenti perfossum cernite sacrum
Vepre caput; quin pectus hians, et lubrica tabo
Vulnera, trajectasque immiti cuspidis ictu
Vulnificae plantas. En mollis sanguine barba
Pulvereo concreta riget; squallentiaque horrent
Colla; rigent flavi crines; riget aurea cervix;
Pallet sidereo multum expectatus Olympo
Vultus, adoratusque astris, nitidisque coronis
Stellarum evinctus, lustratusque ignibus aethrae.
At vero (o mentes caecas, o dira furentum
Corda hominum!) tantos nunc dissimulare dolores
Sic juvat? Ah! scire abnuitis, jam tum ille periclis
Vos quibus eripuit? Numquid non sanguine loti
Illius, exemptique atri Phlegetontis ab imo
Gurgite, sulphureisque atque igne tumentibus undis
Servati, et magnis adsciti, foedere sacro,
Conciliis divûm? Coelo desciscere ab alto,
Et rursus veterem Stygis horrida monstra vocare
Sic in amicitiam juvat, atque exposcere pacem?
Tartareis ne vos, moneo, ne fidite pactis. (cives,
Heu! cave, plebs male suasa, cave: heu! jam pectora,
Excutite o tandem, caecasque agnoscite fraudes.
Adspicite ut sese torvis accincta colubris,
Agminaque usque ciens dirarum insana sororum
Tisiphone a tergo vobis attollat, et instans
Insidias struat. Ah! capite arma, repente periclis
Consulite in tantis, defendite finibus hostem.
Saepe etiam antiquis odiis, accensaque diris
Invidiae facibus, blandâ vos impetit arte,
Vipereisque dolis, si qua alto avertere Olympo
Vafra queat, captosque Erebi detrudere ad imum.

Usque adeo vobis transcripta sedilia coeli
Invidet, et torvis divinos spectat honores
Sacva oculis! Ne vero atri, ne fidite monstri
Promissis; valido sed jam tum pectore ad altum
Adspirate polum, obnixique capessite sedes
Felices: vocat aethereus, palmaeque labores
Objectu Pater emollit, nitidasque coronas
Ostendit laetus, summoque invitat Olympo.
Quare, agite, o veterum contagia dira malorum
Eluite, et pestes animi deponite foedas,
Et veniam lachrymis tristes orate profusis.
Discite justitiam, rectoque assuescite; neve
Jussa verenda deûm, neu sacras spernite leges.
Parcite virtutem jam prodere, parcite vestris
Deturbare animis: date moribus hospita sanctis
Corda: piis laetos monitis aptate receptus.
Sic via sidereas vobis pandetur ad arces,
Vos ubi laeta manent longaevae saecula vitae;
Quae non ulla dies, non ulla explere senectus
Evaleat, nullo componere terminus aevo.
Scilicet haud desunt illic sua sidera coelo,
Haud sol, purpureo coelum qui lumine vestit.
Illic vita manens, varias non ducta per horas,
Extra obitus, extra jura indignantia motus,
Extra anni cursus, extraque volubile coelum.
Ergo, agite, o cives; o plebs, advertite mentes
Huc laeti; o tandem rapidum huc impellite cursum.
Haec, et plura dabat Franciscus vocibus altis,
Stans saepe in medio vulgi, saepe agmine cinctus,
Consessuque patrum magno; cunctosque monebat.
Jamque erat insignis famâ, totamque per urbem
Nomine clarus: cum pueri, matresque, nurusque
Mirantur: jam tum juvenes, coetusque severi
Observant patrum, vultuque, animisque verentur;
Et passim multâ sublimem ad sidera tollunt
Laude. Neque heroas tantum virtutibus aras

Promeruisse olim priscos, atque aethera nisu
Conscendisse gravi: sed enim mox affore tempus,
Semideos inter primos cum effulgeat alto
Subnixus solio, cinctusque ardentibus astris
Franciscus, terris meritos sibi poscat honores,
Plebs canit omnis ovans: avertitur ille canentem;
Et plausus odit vulgi, indignatur et auras.
Inter primores fama notissimus urbe
Civis erat tota; genitor quem protinus ortum
(Francisci primus quoniam florentibus agris
Vernaturus erat) perflatus numinis aurâ
Pectora vaticini, Vernardum dixerat olim:
At plebs Romanae nimium tunc aemula linguae,
Turbavit vocem, Grajoque cacumine dempto,
Inseruit Latium, primisque assuevit ab annis
Surgentem puerum Bernardum dicere, donec
Paulatim nomen tota notesceret urbe.
Hic validos artus jam firmus robore, et aevo,
Connubiique expers, omnemque exosus ab annis
Primaevis venerem; quamvis ditissimus agri,
Atque Subasigenûm fortunatissimus esset;
Consilio gravis, et lingua, dictisque disertus,
Audierat vulgi plausus, vocesque sonantis;
Audierat monitus, divinaque jussa canentem
Franciscum; attonitusque animo spectaverat illum,
Admirans oculis ignem, lucemque coruscam
Afflatam, et toto fulgorem absistere ab ore.
His ergo aggrediens illum, prior excipit: Heus tu,
Quaeso, agedum, nostros laetus, Francisce, penates
Hospes ini; mensas ne dedignare paratas,
Neve horresce dapes: poterisque (agit Hesperus axem
Jam tum purpureum) mecum vitare tenebras.
Sic heros breviter: juvenis sic rettulit orsus.
O mihi primaevos adeo venerate per annos,
O columen patriae, lux o virtutibus ardens,
Multum oculis spectata meis, et saepe magistra

Observata animo; quid nunc hortatibus instas,
O pater, et mollis jussa, imperiumque reponis?
O mihi forte hodie veniat quid munere tanto
Gratius? aut quae me ulla domus tam laeta receptet?
Haec contra dabat ore: dehinc unà (haud mora) dex-
Implicitis, subeunt tectis, coetusque relinquunt. (tris
Ingressis, positae sedes fecere quietem:
Moxque toris micuere dapes; quibus inde remotis,
Olli non citharae modulos, non carmina vocum,
Non bifores poscunt sonitus, thiasosque petulcos:
Sed facta heroum, et virtutum insignia longos
Sermones praeclara trahunt; noctisque profundum
Narrando absumunt: cedit pars ultima somno.
Postera vix nigras radiis aurora tenebras
Urgebat primis, motusque et vivida rebus
Lumina reddebat: cum jam Franciscus ab altis
Correptus stratis, supplex, de more, Parenti
Coelicolûm magno liba intemerata ferebat:
Scilicet haud fibras pecudum, prosectave in aras
Porriciens, sed corda animo candentia puro.
Ergo rite suum Genium sic voce vocabat.
Fide Comes, divûm cui me Rex maximus, olim
Mox genitum, vigili cura, assiduoque labore
Servandum addixit, donec spirabilis aurae
Jucunda fas luce frui, modo laetus honores
Accipe me consueta tibi per vota ferentem.
Oranti nunc dexter ades, dextroque potiri
Da mihi fine hodie; pedibus da tramite recto
Tendere iter certum, summo qua tollere coelo
Me valeam; plenos divini luminis haustus
Da tandem; et caecis erroribus exue mentem.
Imo, ubi sidereos nox atra accenderit ignes,
Tu vigil, Eumenidum assultus, anguesque retortos
Frange potens, hostesque manu contunde furentes:
Et ne qua a tergo mihi sese attollere possint
Monstra Erebi incauto, custodi, et consule prudens.

Talibus orabat juvenis: cum nobilis hospes
Parte alia sese Bernardus lumen agebat
Sub matutini jubaris, sedemque petebat
Francisci, cui multa animo narranda ferebat.
Congressi sedere, manus hinc inde revincti:
Tum prior his aevi maturior orsus: amicis
Franciscus dictis patulas dat cominus aures.
Principio ingentem divûm Sator optimus orbem
Condidit, et formis tellurem implevit inanem
Monstrificis rerum; jussitque micantibus astris
Effulgere polos; pontique enabile mutas
Squamigerûm pecudes aequor versare natatu;
Alituumque animae magnum transcripsit inane.
Nec contentus eo (quod enim dehinc caetera posset
Imperio premere, et rebus dare jura creatis,
Nil dignatus adhuc) extemplo gnarus ab alta
Mente hominem fundens, opus immortale, laborisque
Extremum dedit ipse sui; quem mox novus orbis
Accepit regem, sceptris, solioque potitum.
At (ne longa quidem mora) captus fraude colubri,
Excidit infelix felicis limine regni.
Tum Rex coelicolûm, magni Patris una Propago,
Quaesiturus eum, summo descendit Olympo.
Quin etiam exilii casus miseratus iniquos
(Ah spernax animae virtus et prodiga magnae!)
Quo raptum patriae sedem revocaret ad altam,
Mortem ultro, et diras luit atro in sanguine poenas.
Quid vero imperium, sceptrique insignia tanti
Reddere profuerat, dejectamque arce suprema
Gentem hominum, solio rursum statuisse superbo;
Ni coelo demissa potens tutela, reductam
Servaret, validoque fovens munimine circum
Ambiret celsam sedem, et sceptra aurea regni?
At non una satis tantis custodia rebus,
Non vigil unus erat: non tela immania contra
Eumenidum, fragilis clypeus, non marcidus ensis

Sufficere, aut tenues poterant consistere vires.
Hinc coeli Domitor, Volucrum de gente petitos
Demisit vigiles, assertoresque potentes;
Qui genus infelix hominum celsa arce receptum
Tutari, atque hostes longe defendere possent.
Olli necquicquam segnes, data munia complent;
Ardentesque animis, simul et coelestibus armis,
Assidue cum tartareis bella aspera monstris
Ducunt: victores sequitur sua gloria passim
Aligeros: turpes contra infelicis Averni
Dira caede acies fusae, plagisque pudendis,
Multa gemunt ignominiam, vinctaeque lupatis
Ora fremunt, frustraque cient sub corde furorem.
Ni vero invidiae tantae, irarumque potestas
Immanis domita, et coelesti robore fracta
Sic caderet; piceas hominum genus omne sub undas
Devolvi Stygis, et quamprimum manibus imis
Siderei videas misceri lampada solis.
Non haec fatidicis vatum monumenta piorum
Carminibus tantum meme docuere; sed hausi
Ipse oculis quae dicam: animo tu conde sub imo.
Cynthia supremum culmen superarat Olympi;
Et matutinam jam tum meditata quietem,
Prona leves currus properabat tingere Iberis
Fluctibus: ostentum (nec somno urgebar inerti,
Sed vigiles alto versabam pectore curas)
Cum mihi terrificum mox visum adstare jacenti,
Sublustrem qua pendentis fax vivida lychni
Effundens lucem, tenebras pellebat inanes.
Namque improviso non umbra simillima fumo,
Sed vivax species veri, et conformis imago
Ante oculos, medio in thalamo, pulcherrima virgo.
Constitit: ornatu miro velamina pallae
Illam insignibant niveae, quam plurima, flexo
Illusa argento, percurrens purpura obibat:
Tum circum, qua colla nitent, suprema smaragdis

Insertis pallae micat ora, et fulgurat auro.
At quoniam atra sinus labes infecerat albos,
Fulgoremque auri rutilum foedarat, et ostrum
Proluvie immundâ, vultum demissa nitentem
Moerebat virgo, et lachrymis simul ora rigabat.
Dumque gemens, et crebra ciens suspiria ab alto
Corde, manu pectus gemina pertundit honestum,
Dejectoque animo tristis sese increpat ultro;
Improviso adstat coram teterrima Erinnys,
Nexibus intorti pectus succincta colubri.
Laeva faces, uncum vibrat ardua dextra tridentem;
Ora efflant ignes; oculi fumantia jactant
Fulgura; praecipites capiti pro crine cerastae
Dependent; perque ora vagi, perque atra retorti
Colla gemunt, linguisque humeros, et pectora lambunt.
Mox ergo horribili monstrum exitiale puellae
Voce ait, insultans: Heus, expectata trifauci
Dudum praeda cani, stygioque sacrata profundo,
Quae modo vis manibus te nostris eximet? aut quam
Infelix spem mente secas? via nulla salutis.
En ultrix, en dira, adsum scelerum ipsa tuorum.
Obscenam nunc ede animam, nunc ede nocentem,
Infidamque suo Regi, Dominoque rebellem:
Ede: face hac stygias ibit detrusa sub undas.
Sic dira infrendens quassat caput: ilicet hydri
Concussi gemuere atrum; linguisque trisulcis,
Ora remulcentes stridentia, nexibus arctis,
Virginis intentant captivo vincula collo.
Quin et Dirarum extemplo simul affuit agmen,
Assiluitque immane ululans, trepidamque puellam
Ambiit: igne micat facis haec; illa angue retorto
Stridentem attollit dextram; haec praefulget ahena
Cuspide; caestus eam gravat; hanc immane flagellum.
Centum alias alia arma premunt, insignia certa
Poenarum. Ergo omnes certatim aversa trementis
Virginis ora petunt telis, dictisque lacessunt.

Illa (quid hoc ultra mollisque, et foemina posset?)
Divûm implorat opem, et clamorem ad sidera jactat.
Audiit orantem coeli Regnator; et una,
Aegide praefulgens, et formidabilis hastâ
Aliger insonuit pennis, coramque refulsit.
Extemplo Eumenides retro cessere procaces.
Tum sic increpitans tumido levis armiger ore:
Unde (ait) haec animis tam saeva licentia vestris,
O pestes, diraeque canes? qua lege supernum
Perturbare orbem, nostrosque invadere fines
Audetis? Vos ne aethereis e sedibus olim
Fulmine dejectae, foedasque informis Averni
Sub tenebras contrusae, impune has luminis oras,
Atque iterum adspicitis jucundi sidera coeli?
Quin (scelus!) audetis caecas mortalibus aegris
Insidias struere, et monstris terrere profanis?
Praecipitate fugam, tenebrasque revisite notas.
Diffugere omnes, totumque evanuit agmen:
Una, atque ipsa adeo trepidans, dux effera Erinnyis
Distulit effugium, fremituque haec edidit atro. (stros?
, Ecquid, io, unquam animos linquent odia aspera ve-
Ille ne Rex unquam, generi pulcherrima nostro
Qui decora (ah! meminisse piget) malus abstulit, iram
Exuet? Heu! ne parum est, summo quod fulmine Olympo
Praecipites Erebum nos deturbavit in imum,
Et tristes sine luce domos habitare coëgit,
Aeterno ingentis claudens nos objice terrae?
Quodque etiam invisis aurata sedilia coeli
Vi nobis erepta olim, transcripsit iniquus
Terrigenis, ac nostra homini modo regia paret?
Nec dum longa obitis jam tum per saecula poenis,
Coelicolûm crudele odium, Regisque superbi
Injustasque minas, tumidasque exhausimus iras?
Insuper (Heu! nec vos leges, nec jura coërcent)
En nostras impune domos, et Tartara nigra
Diripitis; nostrisque immania saepe trophaea

Ditata exuviis, coelo super astra locatis.
At nobis ne regna quidem tutarier armis
Nostra datur: nostras gentes domitare vetamur.
Et nunc quid superest? qua nos regione potiri
Cogitis? An rursus lucem speramus, et astra
Rapta, quibus praestant male fidam tartara sedem?
Esto autem, haec levia esse rear, si qua afforet aetas
Suppliciis positura modum; aut ferus impia vester
Moliri interdum dextrâ Rex fulmina cèsset.
At frustra hoc animis, votoque optamus inani.
Sed tandem furor hic quid fert novus? excitus ira
Quid tantum increpitas, probrisque infensus amaris
Me petis? An ne meis etiam num, perfide, tentas
Eripere hanc manibus praedam? dignata triumphis
Tam foeda aethereis, conscendet foemina coelum?
  Sat fessas aures longis ambagibus (alta
Voce morae impatiens, coeli bonus excipit Ales,
Quippe animus casta divinus inarserat ira)
Jam dedimus: satis auditum est: absiste, nec ultra
Tartareos intende sonos. Quid si ista per annos
Longos virgo nocens? Fateor; sub pectore gessit
Foedam animam, sontemque diu, coeloque rebellem:
At tu causa mali, dum te male cauta sequuta est,
Vipereos dum tu flatus, auramque nocentem
Inspiras, alte sublapsum corde venenum
Lethiferum bibit, et potu se proluit atro.
Tartarei patuere doli (fera, cede) tuique
Apparent astus olim, insidiaeque retectae.
Jam tum illa exactae culpas, et crimina vitae
Admissa incusat; labes jam rite nefandas,
Atque ignominias animae, tristissima luctu
Diluit; et rapti decus immortale pudoris
Multa gemens, nunc te diram execratur, et odit.
Proinde nitor viden' ut redit jam in pristina pallae,
Virgineusque decor suffusus ut ore nitescat?
Si qua tamen veterum penitus concreta malorum

Restat adhuc animo labes, expendere corpus
Supplicia infectum paulatim longa necesse est;
Donec contages excedat funditus omnis.
Atque hinc egregio virgo est credenda magistro,
Quo duce multa ferat: variisque exercita poenis,
Quaecumque exsuperant scelerum vestigia, ponat:
Audis? hoc caput, haec nostri sententia Regis.
  Ales ait: juvenisque una coram ilicet adstat
Improvisus: cum circum horrida laena tegebat,
Laxaque percurrens rudis ilia restis obibat;
Ad quem sic placido Volucer levis ore loquutus:
  O juvenis praestans animi, tibi creditur uni
Haec virgo: tu fidus eris servator, et acer
Depositi assertor; donec demissus Olympo
Nuntius, huc adsim concredita dona reposcens.
  Nec plura his: inde attonitamque, atque ora tenen-
Defixa obtutu, dextrâ parcente, puellam (tem
Excutiens, sensus tactu, mentemque refecit.
Tum levis ex oculis tenues secedit in auras;
Mortalemque aciem fugiens, simul astra revisit.
Ut boreae cum vasta lues florentibus arvis
Ingruit; horrescunt sata lacta, rosaria marcent,
Virgineas dejecta comas candentia languent
Lilia: vitalis tum si levis aura favoni
Adspiret, praefulget honor mox graminis omnis,
Convestitque recens informes gloria plantas;
Sic, monstris virgo procul infelicibus actis,
Attollit vultus laetos, frontemque serenam:
Tum juvenis pedibus projecta advolvitur imis.
  Haec me visa cient, vigilem his terroribus urget
Insopita quies, turbatque, agitatque jacentem.
Quare, agedum, Francisce, novum, quod pectore verso
Percipe consilium: atque animo perpende quid illud
Exposcat, quid ferre queat, quo denique tendat.
  Vidi equidem, prudensque tenaci mente notavi
(Visaque sub memori penitus modo condita servo

Pectore) coelestis quam clara insignia vitae
Monstraris, cum tu sublimis ab aggere voces
Eminus in populi circumfusa agmina jactans,
Ore tonas divina Patris mandata supremi;
Cumque iter ostendis virtutum, et spernere foeda
Dona voluptatis, fraudesque, et pocula Circes
Monstrificae vitare mones, et rumpere nexus.
At vero unum illud mirum, praeque omnibus unum
Observasse juvat, quondam et meminisse juvabit;
Quod tibi nec plausu turbae, nec inanibus auris
Commovere animum, nec laeto gloria vultu
Pellexit surdas blandis rumoribus aures.
Nec temere haec, reor, eveniunt: sed ni mea vanis
Fallitur auguriis mens, protinus altior ibis,
Aligeris invectus equis; majoraque passim
Pertentans, magnos populos, vastumque ciebis
Ore orbem; et saevo quassabis Tartara pulsu.
Ergo operis tanti, quod dehinc molire, laborum
Ne, quaeso, meme primum exhorresce sodalem;
Neu fuge me comitem summis adjungere rebus.
Est animus coeptis par hoc sub pectore, et ardens
Magnarum contemptor opum; quique insuper altum,
Morte obita, quem tu captas mercetur honorem.
Praeterea validique suis com viribus artus,
Integrumque aevi, constansque in robore corpus,
Floret inoffenso, naturalique vigore.
Nec vero ignavos antehac, turpique veterno
Exigere obductos, vacui consuevimus annos;
Non vitare acres, non exhorrere labores.
Primum autem (quamquam haud hujus satis ardua
Gloria) proventu quicquid fortuna benigno (facti
Defert blanda mihi (neque enim sunt tenvia nostri,
Scis tu, jura laris; scis ut me dicere suevit
Felicem vulgus; scis ut non esse beatus
Hoc uno videar, soboles quod nulla senectam
Solatura domi ludat mihi) suadet egenis

Mens elargiri modo certa ; et funditus omnes
Spargere opes miseris : quo meme deinde caducis
Exutum rebus, dubiae nec casibus ultra
Fortunae addictum variis (tantum igneus ardor
Sublimem virtutis agat, celsaque locatum
Arce) hominum curas, et spes contemnere vanas,
Et summo doceat paulatim assuescere coelo.
Nec vero sine te quicquam mens inchoat: expers
Consilii non ulla tui me fama sequetur.
Te duce cuncta geram : tibi sese devovet uni
Sponte, volensque animus. Tu ne, rogo, defice, neve
Differ opem : eximiis dextram ne subtrahe rebus.
Ut tandem his heros finem dedit ore loquendi,
Excipit, et primum juvenis sic intulit orans.
Summe Parens, Rectorque deûm, Sator optime re-
Ecquid ager primo vix dum proscissus aratro (rum,
Noster habet segetem? jacto vix semine, turgens
Surgit ador? messes inaratae jugera terrae,
O Genitor, sic ferre jubes? Sed non mea virtus,
Non ars, non labor haec, mea non fert dextera; rebus
Haud equidem his satis, haud par tantam evolvere
Major agit virtus; tua vis, tua magna voluntas, (molem:
Cuncta afflans aurae vitalis lumine, complet.
Tu tamen, o Pater, haec facili, precor, adspice vultu
Liba pius: jam nunc primas bonus accipe fruges:
Daque animum invictum, atque opera ad majora para-
Nunc ultro ad te hospes venio; nec jam tua visa (tum.
Dissimulo. Primum (ne tu modo finge) profecto
Nil equidem ignavum de te, nil vile, nec unquam
Indecoremve animum, moresve habitare sub isto
Pectore degeneres veritus: sed vivida virtus
Semper honoratum, semper te fortibus ausis,
Seu dum laeta venit, seu dum sors ingruit atra,
Rettulit insignem, et nullius laudis egentem.
Quis vero, quod deinde ardens sub pectore versas,
Consilium arguerit? quis non pia facta probarit?

At non tanta quidem fas haec molimina obire ;
Non dare praecipiti tam vasta per aequora tutum
Vela noto, invitis coelestum nutibus : at mox
Supplicibus votis, precibusque vocare necesse est
Numina magna deûm, veniamque exposcere rebus.
His simul auspicibus, nullus labor irritus ibit ;
Et monstris, quaecumque atrox portendit Erinnys,
Terrificis, animos urgebunt mitius olim.
Ergo, age (quando aër primo jam sudat Eoo
Rore levi, stantque ad cantus altaria circum
Thura sacerdotes puri, laticemque Lyaeum,
Et sacras libant fruges, dum pocula Regis
Suprema aetherei instaurant, et numina placant)
Vicini pariter templi sacra tecta petamus,
Poscentes dubiis pacata oracula coeptis.

Dixerat ; unâque ingressi, delubra subibant :
Procumbunt simul ante aras, divosque precantur.
Interea, dum certa petunt responsa deorum,
Dum quid ab aethereo mandet Rex altus Olympo
Suspensi expectant, sopor improvisus opacat
Attonitum heroem ; moxque artus ille resolvit,
Alta per obtusos sensus oblivia passus :
Ignea vis animi tantum collecta silenti
Sede micat : tum spectra modis errantia miris
Multa videt, vocesque audit, fruiturque calore
Lucis inaccessae, et divini luminis aura.
At Pater aethereus coelo ter luce coruscos
Dat tonitrus; nubemque obtendens, objicit orbe
Fulgentem aurato, et radiorum ardente corona
Praecinctam; ac de nube cavâ vox protinus ingens
Redditur, edicens monitus ex ordine trinos.

Ne tu consilium (divûm Pater illius auctor)
Verte, Subasigenûm vir prudentissime, quod nunc
Corde foves. Mox divitias (labor hic tibi primus)
Funditus elargire : inopum manus obvia passim,
Perque vias, perque ampla tibi fora, languet ubique;

Pauper ubique gemit: tristes, age, comprime luctus.
Exilium mox acre instat, nullisque levandum
Olim opibus: nec dehinc vestigia crudus obibit
Pero tibi, duplexve premet te penula: nulla
Cura peni subeat: monitus ea forma secundi.
Postremo (immanis labor hic, teque acrius olim
Hauriet) aetherei vestigia nuda sequentem
Te Regis, tua vota sequi non posse necesse est;
Sed fraena accipere, atque animo parere volenti
Alterius jussis, malaque exsuperare ferendo.
  Vox tantum haec: stupor una heroa, soporque pro-
Continuo linquunt. Francisco exterritus ille (fundus
Mox visa oranti, simul et mandata renarrat.
  Sustulit ille manus, vultumque ad sidera, grates
Persolvens superis: brevibus dehinc talia contra
Cunctanti responsa viro sic reddidit, orsus.
  En tibi (rebar enim, nec me spes vana fefellit)
Aurea nunc coelo, tenues delapsa per auras,
Fax iter ostendit; multâque in luce refulgens,
Ducit ad aethereas certo te limite sedes.
I, monitus ne sperne sacros: i nunc, age, segnes
Rumpe moras: vocat insignis te gloria facti,
Clamore ingenti vocat indiga turba: reclude
Nunc nunc thesauros: age, lux ne crastina tantum
Spectet opus; sed te dives jactura fatiget
Tota hodie: mora parva, mali tibi causa pericli.
  Nondum finis erat monitis, cum providus heros,
Expletus mentem divini numinis haustu,
Ibat ovans, notique laris jam tecta subibat.
Continuo famulûm simul ad consueta paratus
Servitia accurrit coetus; quos sic bonus ultro
Aggreditur dominus, dictisque affatur amicis.
  Hactenus, o fidi (neque enim non credita semper
Curarum vobis summa est, rerumque mearum,
Verborumque fides) animis mea jussa sequuti
Demissis, ultro imperium, facilesque tulistis.

Nunc finem haec vestro lux est positura labori.
Vos autem quae dicam animis affigite certis
(Haud etenim ludicra hodie, aut communia vulgo
Cernere erit) meaque haec sint irrita dicta cavete.
  Quae sors, quique lares, mihi quanta opulentia, no-
Hinc felix dicor; sed non ego protinus ille, (stis.
Quem fingunt: quippe ambiguos agnoscere vultus
Fortunae evalui tandem; didicique superbâ
Ut dextrâ sublime fovens attollat iniquos,
Et temere immeritos colludens aequet Olympo:
Ut contra insultans, sedes deturbet in imas,
Insignes, et quos subvexit ad aethera virtus.
Parte alia (quoniam quicquid mortale creamur,
Non exoratae pallentia mortis in ora
Praecipites agimur, certa, atque sine ordine praeda;
Ultricesque premunt sontes, versantque flagellis
Eumenides) timui; et vestigia fixa retorquens,
Fortunae insidias, astusque, dolosque refugi.
Quare, agite (exposcit vos hic labor) ite frequentes,
Ite citi: quota sit nunc explorate peculi
Summa mei; mox cuncta simul date cognita venum,
Praedia, rura, domos, fundos, lucra, foenora, merces:
Et dapibus sedate famem, atque horrentia amictu
Membra fovete inopum; vacuas quibus insuper auro,
Argentove explete manus, donisque gravate.
Neu quis ob insuetum morem conterritus, ingens
Aversetur opus frugi mihi, quominus omnis
Proventus digestus eat, claustrisque solutis,
Divitiis exhausta gemant aeraria totis.
Non hominum, non haec mortalia, credite, mandant
Jussa; sed ora deûm: voci parete deorum.
At vero ne certa olim sua munera vestris
Servitiis desint, neu vos meminisse laborum
Jam pigeat, prima ante alios sit praemia vobis
Fas sorte excipere, et laeta jam mente potiri.
  Talia jussa dabat famulis: mussare videntur

Olli, nec facti causam scitarier audent,
Nec jussa expediunt; sed tantum adstare silentes,
Cunctantesque animis rem volvere pressius imis.
Increpat ille moras: exciti protinus omnes
Sese operi inviti accingunt. Venalibus agris
Hic sorte addictus, mox arva feracia multo
Auro permutat: tum late consita baccho
Jugera, et umbratos flava tritonide colles
Aere novis transcribit heris, mutatque recepto.
Ille greges, et quae flavi juga laeta Subasi
Vulgo pascuntur, confestim armenta revisens,
Dat venum, atque procos ultro compellat emaces.
Parte alia, haud segnes alii scrutantur in urbe
Proventus, mercesque graves; et foenora passim
Larga recognoscunt. Jam quantas arva per annum
Culta ferunt messes, quicquid nemora ardua mittunt,
Umbrosique gerunt saltus, oleaeque sub unctis
Quicquid flaventes exsudavere trapetis,
Quicquid et aërei pecuaria laeta Subasi
Reddiderant, quicquid tandem fortuna beato
Vexerat indulgens reditu, festina ministrûm
Turba recensebat; fervensque instabat herili
Mandato. Jamque, absumptis simul omnibus, aedes
Restabant tantum: laribus quid parcitis? (heros
Continuo exclamat) nil o mihi, nil opus istis
Servatis. Parent famuli; similique penates
Exitio damnant: eadem auctio diripit illos.
Tum simul omne aurum manibus stipatur egenûm.
Jamque adeo vir magnanimus nil mente caducum,
Nil animo ignavum, nil corde agitabat inane;
Sed magnus contemptor opum, contemptor honorum,
Sede sedens tuta, solidaque locatus in arce,
Ludicra fortunae ridet, casusque protervos.
Jamque unum observat tantum, comes unicus uni
Haeret Francisco; et multo dignatur honore
Grandaevus juvenem, sequiturque haud degener illum,
Non impar animo curis, operique futuro.

FRANCISCI MAURI

HISPELLATIS MINORITAE

FRANCISCIADOS

LIBER VI.

ARGUMENTUM

Francisci fama magis magisque crebrescit; sed ille despiciens hominum plausus, sese ad duriorem vitam, acrioraque certamina hortatur; sociumque Bernardum magis in dies admiratur, et amat = 1 = 46. *Alii se illi comites jungunt, jam numero bisseni, quorum describitur habitus* = 72. *Hisce monita salutis dat Franciscus; cujus orationis exordium haec habet: humanum genus praestare ob rationis donum caeteris rebus creatis, proptereaque esse illi excolendum animum per artes virtutum, iis praesertim qui Deo tantummodo sese dicarunt.*

Deinde a versu 117. *ad finem libri, Poëta sub persona Divi Francisci ea omnia fuse pertractat, eodemque fere ordine complectitur, quae habent sanctissimi Patriarchae Institutiones, quae appellantur* Regula Secunda; *de quibus vide adnotationes ad singula quaeque.*

INTEREA magno totam rumore per urbem
Fama canens, populum crebris sermonibus implet;
Tam magis ingeminans voces, et garrula pandens
Guttura, quam rerum species monstrosior ipsa est,
Quamque inter primos fulget conspectior heros.
Ergo omnes stupor altus habet: mirantur et omnes
Prodiga facta viri, et certatim ad sidera tollunt.
Ille hominum plausu nequicquam excitus inani,
Sed cura majore actus, melioraque versans
Pectore consilia, insani praeconia vulgi
Despicit, et vanos ultro aversatur honores.
Tantum autem ipse suo tacite cum corde loquutus,
Ardua coepta animo repetit, versatque sub imo:
Multaque se incusat, primam quod lentus, inersque
Aetatem, quod deinde graves inglorius annos
Egerit; aut saltem quod non prius utile damnum,
Et rerum insignem jacturam adsciverit ultro.
Tum vero sese vitam exhortatur ad acrem,
Accenditque animum stimulis; durosque labores
Praecinit ipse sibi, bellique instare tumultus:
Seque adeo angustis paulatim assuescere rebus
Edocet, obduratque malis; animoque volenti
Fortiter addiscit perferre incommoda rerum.
Nec sinit ignavae pulsu formidinis ullo
Quassari mentem: quin imperterritus instat,
Coepta alta insectans; venturorumque laborum
Irritans species, vocat, expectatque: nec acres,
Adversosque horret casus; sed fortibus ausis,
Insultansque animo, contra sese obvius offert.
Nam parte ex alia spectat quae praemia virtus,
Aerumnas mulcens saevas, durosque labores,
Praetendit dextrâ, et certantibus ardua monstrat.
Hoc tum animum attollens, ardet magis; acrius instans,
Vota acuit, firmatque libens, spemque haurit abunde.
Nec minus inde novi facili bibit aure magistri

Consilia: observat jam tum hunc, miratur, amatque:
Quin et nocturnis hunc ipsum credere visis
Portendi haud dubitat servatoremque puellae,
Hostem Erebi immanem, vastatoremque profundi.
Ac veluti armento abductus, cum nocte per agros
Erravit multa vitulus; si luce diei
Jam tandem exortà, stabula exoptata revisat,
Continuo alludit matri, simul ubera circum
Faucibus insiliens urgetque, trahitque petulcis:
Sic obit assidue Franciscum providus heros
Altorem, sequiturque ducem, fruiturque magistro.
Interea, queis corda acuit pulcherrima virtus,
Exsurgunt alii, non inferioribus ausis
Ardentes: hi se geminis non impare jungunt,
Agglomerantque animo, seseque laboribus aptant.
Et jam bisseni, lectissima corpora, circum
Adstabant, primique duces insignibus armis
Ibant fulgentes; quos inter vertitur alto
Culmine mentis ovans niveae, graditurque superstans
Franciscus, dux ipse ducum. Non murice fulgens
Vestis eum obnubit; sed circum tegmen acutis
Consertum setis obit, et complectitur artus;
Iliaque immitis succingit mollia restis:
Inde cavum, in morem galeae, procumbit in armis
Tegmen ab occipiti summo; quo saepe reducto
Fronti, hyemem, nimbos, et solis temperat aestus:
Praedurata pedum jam vincula planta recusat.
Hos ductor cultus amat; hoc effulget amictu
Conspicuus; similique bonos effulgere suadet
Tyrones: paret monitis non aspera pubes.
Degeneres populos, felicia saecula condens.
Sed jam, ne (moneo) vos hunc modo quaerite, neve
Illius, ante diem, libeat cognoscere cultum.
Tempus erit (brevis hora) ferens cum splendida signis
Auricomis membra, atque astris ardentia quinis,
Aurorae fines, externaque littora Calpes
Nomine percurret claro, et lustrabit utrosque
Aethiopas: quin vester adhuc inglorius, atque
Vix Latio auditus sola jam voce, Subasus,
Supra Idam, et geminum Parnassum, et culmen Olympi,
Supra Haemum, et Rhodopen, Taurumque et Caucason
Nomen inexhaustum feret, et caput inseret astris. (altum,
Nunc vero sat scire olim quae gaudia vobis,
Quae sors fata dabit, bona quae Pater altus Olympo
Demittet terris; quibus et vir protinus oras
Exitiis Italas, et moenia vestra levabit.
  Interea his quae dicam, animos adhibete paratos;
Consiliisque meis, matres, parete volentes.
Ite, negata diu, et more intermissa profano
Reddite liba aris; neglectaque sacra frequentes,
Ite, novate deûm; templisque reponite honores.
Instaurate pios ritus, et ad aethera palmis
Sublatis pulsate deos, divûmque supremum
Voce ciete Patrem, totisque in vota vocatis
Coelicolûm cuneis, onerate altaria donis.
  Jam vero, quo tantarum certo ordine rerum
Successus fortuna regat, vos cogite primum
Virgineos coetus, matronarumque catervas:
Solemnesque die sacrata ducite pompas,
Limina sancta deûm celebri de more terentes.
Praecipue vero ante alios, vos munera poscit
Siderei Regina poli: primam illius auram
Implorate animis, donisque orate potentem.
Tum pueri, scelerum gens expers, inscia culpae,
Atque ignara animi fraudum, et purissima corda,
Linigeri vobis procedant ordine longo;

Et magnae incensas Divae sistantur ad aras:
Ritae ubi carminibus sacros puerilibus ortus
Coelestis dicant Regis, Matrisque verendos
Intactae partus, illibatumque pudorem.
Vos parte ex alia, non aspernabile pepli
Egregii, moneo, quamprimum intexite velum,
Arte laboratum, simul ostro dives, et auro;
Donum ingens superûm Dominae, coelique potenti
Reginae; et pulchrum simulacro tegmen eburno.
  Principio magnae texto formetur imago
Viva Deae: cui deinde hominum, divûmque Repertor,
Irarum exardens aestu, dextrâque coruscâ
Fulmina demittens terris, et turbine sontes
Mortales caeco involvens, super arduus instet,
Incumbatque minans; et jam dispendia gentis
Urgens humanae, Pyrrheos advocet imbres.
Tum Regina potens, nequicquam territa, Patrem
Leniat, ardentisque animi demulceat aestus:
Protentisque ulnis, et passae tegmine pallae,
Mortalem excipiat gentem, et tutetur eamdem.
Postremo heroem patrium velaminis ora
Ima gerat; quem gnara manus circumdet amictu
Horrenti: dehinc perfossum thoraca, pedesque,
Insignemque notis palmas rutilantibus auro,
Passaque sidereo tendentem brachia coelo,
Effingat, magnumque Patrem simul exorantem.
Hoc ebur, o matres, tandem velamine sacrum
Induite: his grates Divae persolvite donis.
  Haec ubi supremo vates e vertice saxi
Praecinuit, monitisque accendit pectora matrum
Tristia lugentum, siluit; notumque sub antrum,
Surripiens sese, levis, aversusque recepit,
Ancipites animis linquens, ac multa parantes
Dicere: nec coram sese deinde obtulit ultra.
  Illae autem pavidae (neque enim rerum omnibus or-
Notus erat, nec foemineis sub cordibus alte (do

Haerebant adeo divini carmina vatis)
Diversa inter se variis evolvere votis
Consilia. Hae vatem rursum tentare rogatu
Sollicito, monitusque addiscere pressius optant.
Ast aliae: Quid rursus eum compellere oportet,
Edere quae dictis jam fata exsolvit apertis?
Quid monitus vobis, quid lucis egere videntur
Jussa? Diem sat scire, jubet quo ducere pompas
Solemnes, ferrique sacris pia munera templis.
Pars (cupere ut semper nova, semper foemina suevit
Irruere in vetitum): Quin nos sub rupe latentem
Montis (ait) patrium heroem, qui voce potenti
Iratos placat superos, magnumque Tonantem
Conciliat terris, et certo foedere jungit,
Quaerimus, eque antris abductum, sistimus aris?
Quaeramus: quippe ambages, obscuraque vatis
Divini verba exsolvet mox ille repertus:
Ille dabit vires animis, operumque labori
Consiliis aderit, simul auxilioque juvabit.
  Has lites querulae miscent, diversaque matres
Consilia haec simul inculcant, et inania surdis
Dicta notis fundunt, et nubibus irrita mandant.
Non secus agrestum puerorum in margine ripae
Flumineae collecta manus, qui ponere ludos
Contendunt; strepit altercans, certatque, diuque
Dissidet, inventum praefert dum quisque, probatque
Voce, manuque suum, et primo dignatur honore.
  Hic numero ex omni, Cumeae virginis una
Aequa annis, jamque ostendens Cisseida canis,
Eustorge (multa indulgens Tritonia Pallas
Fecerat insignem quam lingua, atque arte decora,
Ingeniumque sagax dederat) media adstitit ultro:
Talibus inde instans monitis, sic orsa, loquuta est.
  Desinite, o matres, tandem vexare tumultu
Discordes animos; et quae modo pectore vates
Fatidico cecinit (longe mora segnis abesto)

Explete: haec equidem non expectare paratum
Ancipitem responsa reor: divina monemur
Qua, vox non hominis tantum: *mihi* credite, matres:
Et sonus, et vultus color, et *(si rite* notastis)
Fulgor in ore sedens, et *scintillantibus* aequa
Lux astris, afflansque oculos, et spiritus ardens,
Hoc vobis monstrare queunt. Ergo, ite, sacrandum
Donum Reginae confestim ordiminor: aurum
Fund te, quaeque volens: scelus, hoc in munere tanto
Parcere divitiis. Equidem haud postrema labori
Dona feram; nec si totas, quarum mihi summus
(Scitis enim) proventus, opes venerabile donum
Deposcat, moveant animum dispendia rerum. (aevo
Addo (manus neque enim, quamquam mihi frigidus
Jam tum sanguis hebet, nostras dea Cecropis horret)
Artis opem: et si qua ingenii solertia nostri est,
Ultro aderit: me primam operi (ne spernite) sacro
Addico: vos certatim conferte frequentes
Munera: Reginae meritos ponamus honores.
Que pompis sacranda dies, ne quaerite: Virgo
Deliget, ostendet certam, propriamque dicabit.
Hec illa. At matrum coetus simul omnis eodem
Assensu fremit, et dictis ore annuit uno.
Tum sedes patrias laetae, celeresque revisunt;
Intentaeque animos operi, dextrasque labori,
Festinant reditum. Vix alta ad moenia ventum
Urbis erat, cum fervet opus: cum rite coactum
Quicquid gemmarum patrius, longa aequora mensus,
Institor Eois pridem vectarat ab oris.
Quaeritur et multo fucatum murice velum,
Sidoniosque alte quod jam bis senserit aestus;
Non gregis e niveo balantis vellere textum,
Stamine sed tenui, Serum de messe, petito.
Nec minus igne crepant, sensimque liquantur arenae,
Herme, tuae, lentosque Phrygum tenuantur in usus.
Hic vero hortatu matrum, lectissima turba,

Virgineâ tantum bissenae e plebe puellae
Sistuntur medio, coramque adstare jubentur:
Omnes carbaseis velatae corpora pallis;
Omnes in morem, nodosos, tempora circum,
Intortae crines, et vinctae retibus aureis;
Omnes edoctas a Pallade credere posses.
Virginibus sed mox delectis insuper una
Eustorge longaeva datur, qua rite magistrâ
Omnis eat labor; atque operi labor addat honorem.
Ergo omnes, curas sortitae, protinus adsunt,
Ordine quaeque suam; et calathis de more paratis,
Accingunt sese, atque aequatis partibus instant.
Tum vero primum, in medio velaminis ampli,
Reginam divûm curae est formare potentem:
Argenti niveo obtentu quam mollis obumbrant;
Huic et Erythraeis fulgor quaesitus ab undis,
Maeandro extremas duplici circumligat oras.
Olli tum digitos gemmarum ardore nitentes
Purpureo incendunt: sacri diadematis altum
(Fulgore irradians orbis, cava tempora circum
Aureus, et vario stellantes ordine gemmae)
Suggestum attollunt, capiti spectabile tegmen.
Hic irata super magni Genitoris imago
Imminet, aëreo tractu sublimis, et atris
Exercens poenis gentes, et fulmine quassans;
Reginae extemplo precibus, quem pectoris aestus
Pacatum ardentes, et inermem fulmine dextram
Cernere erat: tanta est Divae vis, tanta potestas!
Addunt heroem; postremi insigne laboris;
Et patriae ignotas pingunt in margine veli
Extremo laudes: hunc primum horrentis amictu
Tegminis obnubunt; crudâ veste ilia cingunt;
Transfodiunt illi palmas, thoraca, pedesque,
Sanguineoque notant stellantia vulnera cocco,
Incenduntque comis circumradiantibus aureis:
Quales mane rosae primo sub sole rubescunt,

Purpureive inter ceu narcissos hyacinti,
Sive comâ rutilant quali modo Plejades ortae.
Ille autem aethereo Patri fulgentia tendit
Brachia, nec surdas precibus diverberat aures.
Tandem operis jam finis erat: pulchrisque nitescens
Stabat imaginibus textum mirabile pepli:
Atque unà lux certa aderat, quà laeta frequentes
Sacra agerent matres, donisque ingentibus aras
Thuricremas struerent: et jam simul, ordine longo,
Solemnes magnae sacra ad donaria Divae
Tendebant pompae, promissaque dona ferebant.
Ibant linigeri pueri, innuptaeque puellae;
Ibant longaevae matres, sed passibus aegris:
Nituntur tamen, et lente comitantur euntes,
Donec succedant sacratae postibus aedis.
Tum precibus Dominam primo de limine adorant
Supplicibus; magnoque vocant clamore potentem.
Adspice nos, Latiumque gemens, populosque cadentes,
Siderei Regina poli: miseresce tuorum,
Et cladem infandam nostris (potes) excute ab oris.
Hesperiae defende mala; extremoque sub axe
Pulsa gemant Helices, Rhodopesque in vallibus errent.
Haec, et plura sacris dant voce Subasides aris
Affusae matres: puerûm chorus assonat altis
Cantibus: interea Divae simulacra potentis
Ornat virgineus pepli velamine coetus.
Et jam finis erat votis; rebusque solutis
Divinis, hilaresque nurus, puerique micantes
E templo sese referunt. At laetus Hetrusci
Franciscus tunc arva soli longinqua tenebat.
Namque Subasaeo pernox modo conditus antro,
Orarat veniam, et divûm responsa frequenti
Voce imploraret. O magni Rector Olympi,
Da precor haud dubiis, da nunc cognoscere signis,
Quae me fata premant: simul et da scire pericla,
Per quae me ire jubes olim: daque insuper, anceps

Incertusque animus sese quibus implicet orsis,
Nosse, quibusque haerens studiis operetur, et instet.
Tu tandem, regere incoeptam quo jam ordine vitam
Evaleam, monstra, Genitor bone: certa voluntas
Sit tua mi, nemora an ne velis, penitusque repostos
Secessus petere, et me dura per avia, solis
Ardentes aestus, et scintillantia noctis
Lumina, rorantesque umbras vitare sub antris;
Moenia seu jubeas colere, atque invisere gentes,
Auxilioque juvare pias, et ad ardua segnes
Praemia virtutum stimulis impellere mentes;
Perque agros, vicosque, et clara per oppida, Nati
Magna tui canere eloquio mandata frequenti,
Effraenosque sacris animos effingere dictis.
Haec nunc affatu, Genitor, tonitruve sinistro,
Pande, oro; ignarumque doce, et me dirige euntem.
  Talibus orabat summotae rupis in antro
Franciscus: Divûm interpres, pulcherrimus Ales
Improviso aderat, coelo demissus ab alto,
Orantemque virum coelesti voce monebat.
  Ne, quod es ipse tibi tantum debere, tuoque
Rere animo: quando orta suus labor, usus, et ordo
Cuncta vocat; certis sors quaeque obnoxia rerum
Servitii. Servit quicquid vada caerula sulcat;
Quicquid alit tellus, magnum fert quicquid inane;
Aetherei nec summa poli plaga volvitur expers
Servitii; astrorum cursu data jussa citato
Expediunt ignes. Generis quid munia nostri
Enumerem? quantos coelum nos poscat in usus?
Quanta homines terris tutandi cura fatiget?
Hinc agedum, rerum Sator optimus ire labores
Te quoque per magnos jubet; et te destinat orbi,
Navifragoque mari sidus spectabile donat.
Nimirum auxilio quondam mortalibus aegris
Ipse venis: tu dux linguâque, manuque potenti,
Invictisque animis collapsam restitues rem.

Sic monet, et monitum linquens, se miscuit aurae.
  Hic heros primum subita formidine mentem
Perculsus, stupuit, tacitoque immobilis haesit
Obtutu: sed coelestis levis umbra volatus,
Divinique oris decor, et vox certa loquentis
Alitis aetherei, cunctanti protinus omnem
Excussere metum; et placidae lux reddita menti est.
Tum vero attollens animos, et plena sub imo
Pectore vota fovens, laeto sic ore sequutus,
Alloquitur fugientem, et supplex voce precatur.
Quisquis es, o certe magni decus Alęs Olympi;
Seu te, qua divûm Patris ardua regia summi
Panditur, inque sinus immensos funditur aether,
Sedibus auricomis, felicia tecta locatum
Excipiunt; seu sub certo tenet orbe morantem
Te sidus, vigilique hominum statione tueris
Infelix genus, et miserans fata aspera fulges:
Dexter ades, coeptisque fave, et rege numine fausto
Nostrum opus. En tua dicta volens, animoque sequaci
Accipio: mandata Patris quà me pia ducunt,
Sponte sequor: tantum ipse juves; atque ore sereno
Adspice me; placidusque veni, et dux praevius esto.
  His orat dictis, orantique assonat antrum.
Tum vero exsurgens, confestim accersit amicos
Bissenos, vocemque refert, et verba monentis
Alitis: ut vitae duros instare labores
Nuntiet; utque Parens divûm, Rectorque supremus,
Urbesque, et vicos, populosque invisere mandet,
Auxilioque juvare homines, operumque labore.
  Exsultant socii, et jussis parere frequentes
Festinant; verbisque piis, atque indice patris
Lustrati, mox ire parant, mandataque Regis
Aetherei populis late deferre per orbem.
Tum vero in senas partes diducitur aequas
Tota cohors: quae deinde (morae breve tempus) eundi
Quo quamque urget amor, diductae, iter ocyus omnes

Corripiunt; acresque patrem, montemque relinquunt.
Egressi diversa petunt, tractusque peragrant
Ignotos: hi monticolas, atque ardua laeti
Castella invisunt; agrestumque aspera dictis
Demulcent corda, et monitis coelestibus implent:
Hi lustrant humiles pagos: hi clara frequentant
Moenia, et ingentes populos laeto ore salutant.
Idem omnes tamen ardor agit, simul omnibus instat
Cura eadem: virtutis iter mortalibus aegris
Monstrare, et sese quam celso diva receptet
Vertice, quam niveo cultu sese arduus olli
Jungat honor comitem, quam laeto gloria vultu.
Felices nimium gentes, nimiumque beatae!
Felices, positaeque astris felicibus urbes;
Queis oratores tales felicia quondam
Pacis dona ferant, et nuntia verba salutis!
Extra bissenos comites erat insuper unus,
Fatalemque extra numerum: dixere Lyaenon.
Hunc forte errantem, et solum avia tunc lustrantem
Montana, aggreditur pater, atque his increpat orsis.
Quid tu, age, dic, hodie nemora inter densa, Lyaene,
Longa animo solus vacuo teris otia? nec te,
Quae nunc sollicitat nostros, duroque labore
Exercet socios, movet ardua cura? quid unus
Expers divini monitus, expersque laboris
Quaesiti, tandemque Deo monstrante, reperti?
Eja, animum hic effer, coeloque attolle jacentem.
Te nunc, meque labor vocat unus: idem expetit ambos
Nos opus: i mox, i celer: ardua res premit: ingens
Imperium exercet: labor instat, iterque malignum.
Talibus urgebat dictis pater ipse Lyaenon
Increpitans; atque ex illo, sibi foedere magno
Junxit eum, comitemque aeterno adscivit amore.
Tum primum admisit rerumque, operumque suorum
Praecipuum testem; quaesitoremque sagacem,
Arcanumque animi accepit, mentisque profundae;

Qui cum etiam curam primam tunc ordine, qui cum
Tum primum partitur iter, primumque laborem :
Et tandem patrio simul excessere Subaso.
Ergo dum tristes clamoribus alta frequentant
Matres templa piis, Franciscus Tybridis undas
Trans pater evectus, fido comitante Lyaeno,
Finibus errabat Tuscis : qua, milite Poeno
Dum vincente, acies caderent, gemerentque Latinae,
Ingeminans atras lachrymas, Thrasimenus amaro
Intumuit luctu, Romanaque vulnera lymphis
Sanguineis lavit : tristes latuere sub imo
Gurgite Naïades, gemitusque dedere profundos.
Forte dies aderat, mensis quae rite calendas
Florentis laetas aperit, sertisque coronat;
Muneribusque aris instructis, annua Regis
Siderei geminos proceres deducit Olympo :
Quippe hanc heroes, divini jussa magistri
Dum laeti subeunt, effuso sanguine, claram
Morte obita fecere simul, coeloque sacrarunt.
Hinc et Tyrrhenas fulgebat crebra per oras;
Praecipue Tarcontis agros, Coritique ruinas
Qua veteres, Clusique lares gens Lyda frequentat.
His tum compertis, animo exsultavit, et ore
Infremuit laetum pater; atque ita voce Lyaenon
Aggreditur. Nos ergo hodie sors improba tantae
Laetitiae dabit expertes? tantum malus error
Nos hodie abducens, sacris arcebit ab aris?
Di nobis meliora velint; proceresque gemelli
Hanc laetam dent ire diem. Sed jam tum, age, segnes
Rumpe moras; agedum festas properemus ad aras.
Non iter avertit durum, non flexa viarum
Distinet ambages : rutiloque Hyperionis ortu,
Nunc primum effulgent, enituntarque recentes
Sub luce auricoma bijuges : imo adspice tecta
(Nempe errabundis simul, ignarisque locorum
Jam tum improviso, vetus urbs, ostenderat altes

Aretium muros, seseque objecerat illis)
Ardua: non procul aufugiunt, nec tramite longo
Jam distant: breviter visa sistemur in urbe.
Perge modo: haud vanam pars haec nos prima diei
Ad curam accersit: non hic labor irritus ibit:
Nostra haec successus non deseret orsa petitus.
Haec ille effatus, gressus acquante Lyaeno,
Festinabat; et una urbem, portamque subibant.
  Ventum erat ad magni fulgentia limina templi:
Pronus uterque cadit, veniamque altaria circum
Exorat, divosque ciet per vota gemellos.
  Interea rebus divinis rite peractis,
Stant nivei sine voce chori; purusque sacerdos,
Igne vaporatas vigili, donisque Sabaeis
Lustrata in morem jam plebe, reliquerat aras.
Fit strepitus; passim coëuntque, fremuntque coronae
Laetantis vulgi; serpitque per aethera clamor
Paulatim. Hic heros (fandi sese obtulit ultro
Copia) suggestum stantem, ac de more paratum
Forte operi, scandens; oculis unde cminus omnes
Et legere adversos coetus, et noscere posset;
Infit: eum extemplo populus circum ambiit omnis.
  O proceres, atavis gens nobilis, o bona pubes,
Vota hodie superûm qui solvitis annua Regi,
Et geminis meritos laeti instauratis honores;
Sacratumque diem geminorum nomine, ritu
Perpetuo colitis priscorum; atque ordine pompas
Solemnes agitis, struitisque altaria donis:
Ne pigeat, ne, quaeso, animos adhibere quietos,
Atque aures nostris dictis praebere parumper
Arrectas, breviter pro vobis, reque tuenda
Vestrae urbis, dum pauca loquar; dum moenibus altis
Praesidia adjiciens, et propugnacula jungens,
Tutarique domos, longeque arcere furentem
Vos hostem edoceam, et sedes servare quietas.
  En fragilem aequoreis audet dare navita puppim

Fluctibus; et fremitus, tempestatesque sonoras
Undarum premit, atque insanos despicit euros;
Eoas ut quaerat opes, et littora rubri
Diripiat maris, et fulgoribus exuat Indos,
Gemmarumque decus patrias convectet ad oras.
En juvat agricolas duros perferre labores:
Nec dum bruma horret boreâ, glacieque nivali,
Nec dum findit agros ardenti Sirius astro,
Lenit arator opus durum, somnive quiete
Excubias molli, et curas demulcet agrestes:
Luce sed obnixus terram insectatur inertem,
Exercens rastris, et adunco vomere glebas:
Contra autem incusat, damnatque silentia noctis
Importuna operi, saevoque inimica labori;
Nec non increpitans lentis irascitur astris.
Tantus amor messis; tantis vacua horrea curis
Sollicitant animos; is demum agit ardor habendi!
Jam vero huc oculos, celeresque advertite mentes
In partem adversam: discriminaque horrida passim
Armorum, et grave martis opus, saevosque labores
Adspicite, o proceres. Non formidabilis, amens
Bellorum fremitus? non vis, funestaque, ferri
Exhorrenda acies, dirarum immania caedum
Instrumenta? an non incendia, furta, rapinaeque,
Et fraudum ambages caecae, insidiaeque latentes,
Exterrere queunt animos? Memorem ne cruenti
Ut vulgo interitus, et plurima mortis imago,
Lugubrisque dolor, scissoque insanus amictu,
Et lacrymae, et gemitus bellum comitentur amari?
Ut saepe in cineres clarae cum moenibus altis
Consedere urbes? crebro ut cecidere superbi
Marte sub infando reges, populique feroces?
Et tamen ecce audet passim haec discrimina obire
Gens hominum: gens quippe amens: gens indiga mentis,
Consiliique expers, et dulcis prodiga vitae;
Dum petit infandum pretium, tristisque coronae

Sanguineum decus, et funestae laudis honorem.
Contra autem (o pravae mentes, o caeca furentum
Corda hominum!) quid nos aversis munera divûm
Certa animis ultro abnuimus? sic laeva sequentes
Consilia, irruimus vetitum? oblitique supremi
Hospitii, patriaeque domus; unde ignea nobis
Vis animi, quo nos durum, ac miserabile mensos
Exilium, magni revocant tecta aurea coeli;
Quaerimus externas sedes, alienaque regna?
Felices o nimirum, et felicibus astris
Exortos, quoscumque vehit levis ardor ad auras
Usqueadeo excelsas; donec sua noscere possint
Gaudia, quaeque illis servat bona Rector Olympi.
His neque vipereis ultra mentita venenis,
Imbuet incautas mentes, animosque voluptas;
Non captos fortuna bonis servire caducis,
Ambiguas non coget opes optare: sed ultro
Degeneres hominum curas, et inania vulgi
Gaudia vesani jam deridere parati,
Exemptique malis vitiis, et casibus, extra
Errores, extra spem turpem, extraque timorem
Securi, divûm tantum otia laeta capessent.
Quare, agite o tandem, cives, tuque inclyta pubes,
Eximite ignavis torporem cordibus atrum,
Et magno exutas mentes attollite coelo;
Unde animis genus, unde hominum spes certa salutis.
Blanda voluptatis captivo vincula collo
Projicite: ah! moneo, longe defendite vestris
Pectoribus caecos ignes, et foedera turpis
Rumpite amicitiae: neu felle venefica vobis
Vipereo inficiat mentes, et fascinet atris
Vocibus aethereos sensus: jam carmina posthac
Colchica non segnes surdâ aversaminor aure.
Linquite Circaeae, quamprimm linquite terrae
Crudele hospitium; miscens ubi dira venenis
Poecula tartareis, et sacro murmure adurens,

Vos hominum ex pulchra facie, illaudata voluptas,
Induit in vultus, et lurida terga ferarum.
Ecce autem (neque enim tantum marcentia turpis
Dona voluptatis, fucataque gaudia dictis
Acribus impetere, immanesque ostendere fraudes
Fert animus) contra sese gerit obvia virtus:
Quanta olim invictos heroas ad astra vocabat;
Dum rata praesidibus tumidis, saevisque tyrannis
Intrepidi responsa darent; mandataque Regis
Ardua siderei divinâ voce tonarent;
Spernentesque minas regum, simul obvia ferrent
Suppliciis ultro, et vibratis pectora telis.
Hanc ego (divinos quoniam sibi poscit honores)
Ne dictis efferre queam, ne laudibus aequem
Obstat iners animus, gelidusque in pectore sanguis:
Et tamen haud dubitem custodem moenibus illam
Addere nunc vestris, servatricemque potentem.
Praeside non hac vos, fremitus, subitosque tumultus
Bellorum, non incursus, saevasque rapinas,
Non dira excidia, aut clades horrebitis atras.
Omnis hyperboream furor, impetus omnis ad Arctou
Hinc pulsus fremet, extremoque sub orbe gemiscet:
Quin etiam atra fames Scythiae deserta nivosae,
Caucaseasque domos repetet; notisque sub antris
Condita, saxososque tenens, et frigore campos
Exustos, vanas captabit hiatibus auras.
At vos certa quies, et laetae munera pacis
Securos tranquilla manent: non messibus aegros
Ultra infida Ceres vacuis eludet agrestes;
Frugiferis sed terra parens redimita coronis,
Attollet late florentes vivida vultus.
Imo, agite, o cives, o plebs, ne credite, quaeso,
Fortuitas tantum nutu virtutis agi res,
Donarique manu divae mortalibus aegris
Divitias solas, terrenaque praemia ferri:
Nimirum illa adeo curam hanc haud pectore versat,

Nec tam dejecti laetatur nomine regni;
Sed levis astra petit cursu, sedesque supremas
Alta colit; vocat unde hominum laetissima coetus,
Et magni ad celsas arces invitat Olympi.
Quippe fores sedet ad nitidas, fidissima coeli
Portarum custos; venientesque accipit ultro
Felices animas, clarisque interserit astris;
Transcribitque piis choreis, magnaeque quieti.
Interea divae sacra vos ne linquite signa,
Neve horrete acres, quos objicit ipsa, labores.
Tuque adeo, o pubes, animos attolle; nec ultra
Descisce a divae castris, ne verte fugaci
Terga gradu, ne cede malis; sed fortibus ausis
Tende volens contra: et quâ te dea concitat, altum
Vince iter, et summos obnixa capesse penates.
Tolle oculos coelo, et sedes metire beatas
Mente hilari, virtus quo te vocat ardua: ne tu
Defice, neu devicta cadas: praeludit eunti
Ipsa tibi dux fida, manu coelestia portans
Praemia, et invictâ protendens munera palmâ.
Contra autem demitte aciem, et Styga despice nigram:
Cerne illic tumidum lacrymis Cocyton amaris,
Et Phlegetontaeas ripas torrentibus undis
Fumantes: cerne immanes ex ordine poenas,
Quae sontum exercent animas, quibus aurea virtus
Despecta ad superos. Irâ sedet impius ardens
Umbrarum rector, vitasque, et crimina sontes
Poscit inexhaustâ rabie; semperque cruentus
Irritat saevos angues, et Erinnyas atras
Advocat increpitans, tardasque incusat ad iras
Ultrices: misero fervent loca turbida luctu:
Fumificae regemunt undae, exustaeque lacunae.
Haec monstra, o cives, has exhorrescite poenas,
Hos luctus, claudit nullo quos terminus aevo.
Jam plura expectans, animis turba omnis hiabat:
Finem improviso cum dat pater optimus orsis.

FRANCISCI MAURI

HISPELLATIS MINORITAE

FRANCISCIADOS

LIBER IX.

ARGUMENTUM

Heroem, ob aurea dicta, omnes dignantur honore divino = 1 = 23. *Orandus autem ex primoribus Aretinorum, ardens jamdudum studio compellandi Franciscum, accedit ad eum: domi suae convivio excipit: deinde seorsim ei narrat suos casus; ut jussu patris uxorem duxerit invitus; quumque nullam ex illa susceperit prolem, rogat, ut de suis maximis opibus edicat ipse, quid sibi agendum sit; denique ei dono offert montem Lavernam, ubi incolat cum suis* = 238. *Laudat Franciscus pium Orandi consilium: hortatur ut thesauros in auxilium indigorum, et ad augendos Coelitum honores recludat: accipit grato animo munus oblatum, humilesque insuper casas, quas ille se ibi extructurum spoponderat: tandem cum monitis, et mutua amoris significatione ab illo digreditur* = 420. *Contendit cum Leone in Aemiliam; et postea Bononiam, ubi ad litus Rheni dormienti Francisco apparet Deipara, quae jubet eum ad Subasum redire* = 491. *Securae tunc belli, et pestilentiae, gentes Latinae meritos Superis*

instauraverant honores ; quum Franciscus cogitat de nuntianda campestribus populis coelesti salute. Quapropter denuo a Subaso profectus cum Leone, moratur aliquantisper in Samnio, ac deinde pervenit ad radices Gargani = 584. *Ibi ei dormitanti se ostendit coelestium Alituum Dux, quem sublatum ex oculis Franciscus precatur: ingressusque postea cum comite in templum, primo Deum, deinde divum Michaëlem obtestatur. crucemque coelo delapsam videt, ex qua futuram sortem percipere potest: postremo utrique hinc laetantes discedunt* = 741. *Sipontum adveniunt, ubi extra portam, sese Francisco fit obvius Euphrosius quidam, vir probus et ditissimus, ejusque videndi percupidus, qui advenas in suas aedes perducit*= 822. *Postero mane, die nempe natali beatissimae Virginis, hortatu pientissimi hospitis, Franciscus templum Deiparae ingressus, divinis rebus rite perfectis, salutaria populo dat monita, quorum haec summa: virtutem debere civitatibus praeesse; spernendam autem voluptatem: qua oratione habita, laudum praeconia effugiens, deserit Sipontum.*

Surgit ab his magnus procerum consessus; ovansque
Paulatim exoritur rumor; vocesque faventis
Crebrescunt vulgi, et clarae praeconia laudis.
Sicut apes, gens prisca novos excedere reges
Cum jubet antiqua e sede, et nova quaerere regna,
Dant primum lenes sonitus, tractimque susurrant;
Donec tota favis, castrisque effusa juventus,
Seu propter rivos, seu sub frondentibus umbris
Pendula ludit ovans, camposque sonoribus implet.
Ergo omnes uno ore fremunt: stupor insuper omnes
Altus habet: simul heroem dignantur honore
Omnes divino: pueri, juvenumque catervae
Illum suspiciunt; illum admirantur, amantque
Primorum coetus patrum; observantque piarum,
Attonitisque inhiant animis tota agmina matrum.
Tum referunt ut prima dabat monita aurea pubi;
Obscenae ut fraudes, utque exitiale venenum
Nosse voluptatis, simul et vitare docebat;
Ut virtutis opes, regnumque insigne canebat:
Cum tantum illa animis felicibus aurea donet
Hospitia, et coelo sedes paret una beatas:
Contra autem exceptos pellaci fraude, voluptas
Praecipites volvat, stygiasque agat atra sub undas.
Inter primores fama notissimus urbe
Civis erat tota, simul et ditissimus agri
Tuscorum: omnis eum primis consuerat ab annis,
Jam tum surgentem puerum, gens Lyda vocare
Oranden. Tantum hic, fama gliscente per oras
Tyrrhenas, dudum clarum, ac venerabile nomen
Francisci audierat: multumque heroa petitum,
Quaesitumque diu (o superum bona numina, votis
O nullis pietas non exorabilis!) olli
Tandem improvisum, insperatumque attulit ultro
Sacra dies, lux alma, favens et amabile numen.
Ergo adeo huic animus magno exardebat amore

Compellare virum, dextraeque innectere dextram.
Accessit tandem, et placido prior institit ore.
O mihi laeta dies, o felix orbita lucis
Sideraee, atque animo nimium expectata volenti;
Quae vehit optatum lumen, specimenque beatae
Nunc insigne meis oculis dat cernere vitae!
At tu, magne pater (quamquam primoribus istis
Multum hodie veneratus abis) ne despice nostros,
Quaeso, lares: meme veterem novus hospes amicum
Nosce hodie: dis auspicibus (quorum alma triumphis
Fulget inexhaustis, atque haec redit annua pleno
Orbe dies) reor haec direxti ad moenia gressus.
Sic ait, accepitque manu, et procurvus inhaesit.
Procedunt, unaque aequatis passibus ibant:
Jamque altos subeunt postes, tectisque superbis
Succedunt: jussae extemplo stant ordine mensae.
Utque suus dapibus finis datus, ilicet ambo
Excessere toro simul, et penetralibus altis
Excepti sedere: dehinc gratissimus hospes
Occupat Orandes prior, ac mox talibus infit.
Audieram, pater (et dudum sub pectore nomen
Servo tuum) audieram sese quam clara Subasi
Tollit oliviferi, et quam forti gloria nixu
Coelum adit, et nitidis summum caput inserit astris;
Quam crebris magnae resonent tua facta per omnes
Vocibus Ausoniae fines; quam praepete cursu
Fama tuum defert Romana per oppida nomen.
Nec me dura fides tanti rumoris habebat:
Credere suasit amor pius omnia: nec malus error
Credentem abduxit, nec murmure lusit inani.
Hinc votis te saepe meis, Francisce, cupitum,
Ut tandem huc vectum adspicio! ut te nostra terentem
Limina nunc, pater, agnosco! ut juvat ora tueri
Exoptata diu! Sed enim tua maxima virtus
Quae, reor, huic hodie sese divinitus urbi
(Ostendit) superat famam; et memorabile nomen

Extulit, insignique adeo claravit honore·
Dum monita ingenti tonitru coelestia pandis;
Et pubem angustis rebus consuescere suades,
Obnitique altas clarae virtutis ad arces. (tum
 Verum, agedum (quando haud animum communia tan-
Sollicitant, sed certa suum jam cura mearum
Tempus amat rerum) primum hoc, pater, accipe de me.
 Cum primaeva mihi, nec dum bene firma juventus
Vix malas tenero vestiret flore nitentes;
Non ego, quod senior studiis pater ipse parabat
Sollicitis, inhiabam aurum: sed protinus acer
Et contemtor opum, et curae aversator inanis,
Ad cultus, ad templa deûm, ritusque ferebar
Sponte sacros; totâque volens cum mente vovebam
Aris pubentes annos, seniumque futurum.
Hoc autem tacitus versabam corde sub imo
Mecum ipse, expectans si fors ulla afforet unquam
Coelo lapsa dies, qua plenis auspice votis,
Tandem aris, sacrisque focis me rite dicarem:
Unde, opibus spretis, vanisque e pectore curis
Jam procul emotis, liquidis anima ignibus aurae
Aetereae flagrans, penitusque exempta caducis
Usibus, in numerum divûm sublata volaret,
Et soliis tandem coeli succederet altis.
Consilii rumor sed enim contingeret aures
Multa equidem patris, vigilans, tacitusque cavebam,
Exhorrens fremitus senis, indomitosque furores.
 Interea (o nostris nequicquam aequabile fatum
Optatis! o Parca obstans! o lugubre pensum!)
Festus hymen, patris accitus jam voce, per urbem
Auditur totam, mihi vincla jugalia tendens.
Fando autem nostras vox tandem percutit aures:
Tum cordi incubuit, durisque sub ossibus haerens
Altius insedit dolor, et spes excidit omnis.
Tum perii, tum me nox circumfusa tenebris

Obduxit caecis, luctuque involvit amaro. (tentem
Quid facerem? quae tum praeceps fuga, quaeve la-
Tuta satis loca, terra aut quae satis ima dehiscens
Meme ore acciperet? quae animo hic sententia tandem
Surgeret ambiguo? Patrias stetit alite plantâ
Linquere saepe domos; terraeque invisere fines
Desertae, et saltus, horrendaque lustra ferarum
Quaerere; longaevumque fuga deludere patrem;
Atque atro infectos luctu incestare hymenaeos.
Non hoc fata dabant, reor: inde audacia rebus
Succubuit, fateor, tantis, animusque refrixit.
Ergo aderat, thalamos quae jam de more pararet,
Taediaque ingrati me ferre invisa cubilis
Cogeret, atra dies: resonant alta atria plausu:
Pendent ardentes lychni: funalibus umbrae
Cedunt nocturnae incensis: domus instrepit omnis
Laetitiâ. Unus ego, haud animum mulcentibus ullis
Moerentem ludis, imo suspiria tantum
Anxia, et assiduos fundebam e pectore questus.
Sensit luctisonas voces, atque affuit ultro
Mox pater, et gemitus causas scitatur amari;
Nullaque non tristi spondet solatia cordi.
Dissimulans partim silui, partimque negavi,
Vera diu longis solers ambagibus abdens.
Vi contra ille instat multâ: ac, de more paterno,
Nunc me blandus obit; placidis nunc aspera jungens,
Turbibus irâ, acerque, minis incessit amaris.
Hic animi tandem retegens arcana profundi,
Heu! cessi, heu! perii, heu! victus fera jussa subivi
Tunc equidem infensi patris: atque exinde jugalis
Me torus invitum tenet, ac dolor angit amarus.
Nec tamen ullus adhuc (quamvis, Lucina, vocarit
Te quater ad partum conjux; quippe omnis ab ortu
Erepta est primo soboles) mihi servat avitas
Divitias haeres, vacuâ aut jam ludit in aulâ
Progenies, seram consolatura senectam.

Quare, age, ne tantis opibus (fortuna benigno
Quas non parca sinu rediens vehit undique nobis)
Externa de gente olim satus incubet haeres;
Tu, pater, obsta hodie, ambiguis tu consule rebus.
Sive inopum turbas alere, atque horrentibus artus
Nudatos tegere Ipse jubes; sive alta per urbem
Ponere me mavis picto de marmore templa
Coelicolis, meritosque aris indicere honores,
Et festos sacrare dies de nomine divûm
Edicis; mox ipse volens mandata facessam:
Nec quondam ulla animum tangent dispendia rerum.
Praeterea, quo jam non opportunius ullum
Esse tibi, coeptisque tuis reor, accipe munus.
Stat capita attollens praeruptis ardua saxis
Undique mons, campis longe conspectus Hetruscis;
Utilis umbrosis tantum mihi saltibus, et, quae
Lanigerique greges nobis, armentaque late
Tondent, dumetis, herbisque virentibus aptus:
Exerit unde pater primo Tyberinus in auras
Fonte caput superas; qui postquam cornua fronti
Aptarit gemina, et famularibus auxerit undas
Amnibus adscitis flavas, mox obvius austro,
Iliadae petit aurato sacra moenia cursu.
Hunc fama est, veteres olim, de more profano,
Praedonum, furumque deae sacrasse Lavernae;
Et primum horrenti luco tum nomen ab illa
Fecisse, indigenûm vulgus quod rite minorum
Servat adhuc. Exin raptorum huc agmina suerunt
Magna coire simul, nigroque in culmine montis,
Solis inaccessas radiis celebrare cavernas.
Ergo hic non laeti cantu, tenuique cicuta
Pastores mulcere greges, non carmine lites
Alternis miscere leves, non ponere ludos;
Sed spoliis tantum praedatrix turba cruentis,
Et convectatis simul exsultare rapinis.
Caedibus hinc, taboque atro, sanieque tepebant

Speluncae horrentes, hominumque avulsa sub altis
Ilicibus semper pendebant ora, volucrum
Dirarum foedae rostris immanibus escae.
  Advenisse diem jam nunc reor (o bona tandem,
Saxum ingens, tua nosce libens) quo nominis atri
Deponas ignominiam; veterumque malorum
Exutum probris, nemus, immanesque cavernas
Usibus addicas sacris: nova gens, novus hospes
Adveniet; cultusque novos, novaque ingeret antris
Ille tuis spolia, et magno ditabit honore.
  Ergo age (si te amor is, si fert ea corde voluntas)
Ille tibi, sociisque tuis jam cedat habendus.
Illic, longa animo dum propulsare juvabit
Taedia, et ambigui penitus commercia vulgi
Linquere, certa quies: illic laeta otia fessum
Excipient. At si (forte hoc impensius optas)
Ardet sidereas animus conscendere sedes,
Scrutarique juvat nitidas stellantis Olympi (que
Mente domos; scire unde animas hominumque, ferarum-
Arcessat genus; unde satis levis imber; et astris
Unde viae, unde ortus, defectus unde; quis ignes,
Luminaque inter se pugnantia temperet illis;
Ut montem, ut densum nemus, ut saxa ardua votis
Aequa tuis reor! ut specus, atque immanis hiatus
Te capient silicis, praeruptaque culmina rupis!
  Praeterea in medio montis, viridissima tractu
Convallis jacet exiguo; cui, tramite recto,
Hinc atque hinc modici defendunt flamina colles;
Ilicibus densis, proceràque abiete utrisque
Exhorret dorsum; lucusque hinc inde silentem
Obnubit vallem obtentu, ac superimminet atro.
Dira loci facies, et relligionis honorem
Terrificae multum jam tum ostentare videtur:
Umbrarumque horrorem, et nigra silentia luci
Jampridem indigenae sese expavisse trementes
Haud temere agrestes perhibent: audisse canores,

Quippe inter densas frondosi culminis umbras,
Credunt coelicolûm, atque alas vidisse micantes.
O quis te Superûm non jam mox sistat amoena
Valle? quis optandam vasta sub rupe quietem
Invideat? neve aethereas attingere possis
Obstet delicias? Eja, extemplo cape tantae
Sedis opes: age, montis ama solatia sacri;
Unde animum attollas; magni penetralia coeli
Unde ineas; ubi mille Pater spirantibus aurae
Ignibus omnipotens Volucrum fovet agmina sanctae.
Queis etiam sese, manifesta in luce refulgens,
Totum indefessis spectandum visibus offert,
Immiscetque volens: sensusque infusa per omnes
Lux agitat turbam, et totos alit ignea coetus.
At tibi, ne tantum ramis frondentibus arbor
Rorantes stellas, et solis temperet aestus,
Defendatque hyemes, et frigora dura, nivesque,
Mox equidem ultro adero; nec te usquam in rebus egenis
Dimittam, fessumve tui me cura relinquet.
Bina autem primum excelsa sub rupe locabo
Tecta, humilesque casas: at si dehinc aucta tuorum
Gens comitum exsurgat, pluresque ex ordine poscat;
Esto, ipsi jam tum numerumque, modumque domorum
Praecipiant tantum: me cura, laborque fatigent.
His bonus Orandes animum pulsaverat orsis
Hospitis: ille pio sic rettulit ore vicissim.
Rem magnam, votique hominum nullius egentem,
Nulli non adeo frugi, bone consulis hospes.
Mortales ultro cuncti se velle fatentur
Nosse iter, et summas virtutis scandere sedes;
Praemiaque alta petunt, animisque ardentibus omnes
Illius exoptant. Quid vero (heu, perdita rerum
Conditio nostrarum!) animos vota irrita ludunt
Saepe avidos? quid praeda boni tam rara petiti
Contingit nobis? quae sors, quis debita fato
Munera, promissumque decus, pactoque deorum

Mortali addictum genti, rapit invidus hostis?
Et tamen e summa divûm Pater optimus arce
Intonat assidue, densisque micantia flammis
Lumina praemonstrans, acclive ingentis Olympi
Sternit iter, panditque aditus; vultuque sereno
Mortales coelo invitat, sedesque beatas,
Hospitia infidae quondam male credita genti,
Objicit. Ignavum nos contra, et futile vulgus,
Fortunaeque palam ludibria vana jocantis,
Abnuimus divûm certissima munera: fixas
Dedignamur opes: animisque haerere caducis
(Heu facinus!) juvat usque bonis: juvat utile passim
Linquere: damnosis juvat ultro incumbere lucris.
Hunc, o magne hospes (sermonis gratia tanti
Ne tibi nulla) ad te simul, et tua dicta revertor.
Si tua vota pater primis discerpsit ab annis,
Inviditque tibi laetam, eripuitque quietem;
Si non sorte olim divis sacrata supremis,
Servitioque aris, templisque addicta juventus;
Si te praepediunt sociati vincla cubilis:
Ne modo, ne, quaeso, desponde ingentia coeli
Atria: neu superûm jam tu commercia rere
Perdita: amicitias antiquo foedere junctas
Cognatâ cum stirpe deûm ne desere, neve
Ceu desperatas, confractasque, omine defle
Infausto. Patet usque poli, patet omnibus ingens
Janua siderei. Quem non laetissima divûm
Concilia expectant? cui non solia aurea circum
Sceptriferi Patris, volucres, de more, ministri
Expediunt sedes, et constatura per aevum,
Ordine cuique sua, auratis tentoria velis,
Affigunt late, magnumque per aethera pandunt?
Nempe haud gens usquam, nulloque sub axe reposta
(Siderei modo dicta sacro de nomine Regis,
Justitiaeque tenax, cultrix pia servet honores
Coelicolûm) jacet ulla hominum, cui limen Olympi

Non pateat. Multos, quos ad divortia raptans
Tisiphone immani jam pridem eluserat astu,
Vipereique adeo foedarat labe veneni;
Respexit tandem Genitor bonus aethere ab alto,
Immundamque animis pollutis, ignibus aurae
Divinae, exussit pestem, ac scelus eluit omne,
Aethereos sensus pura sub luce relinquens.
Hos ne aedes habitare poli, sedesque piorum
Incolere addubitas ? hos tu non rere beatos ?
Non ita : sed quamquam ad templum custodia sorti
Non illis cecidit, nec sacra evinxit honestas
Vitta comas, haud exsortes fas credere regni
Siderei. Neque enim impurus coelestia livor
Corda habet: haud ulli superûm Rex invidet astra:
Imo animis o quae divinis, coetibus o quae
Laetitia Alituum ! quam densa per agmina crebri
Inserpunt plausus! quam festis maximus aether
Exsultat thiasis ! simul ut bona sidera gaudent!
Dum pater indigetes magno transcribit Olympo,
Aligerumque acies heroum coetibus auget.
  Quare age, nunc, hospes, spem certam agnosce salutis
Coelestes agnosce aditus, divosque faventes.
Aude animis: desponsa piis, age, praemia factis
Jam ne dissimula : ne, quaeso, avertere: passim
Cerne, ea sidera divûm ut Sator altus ab arce
Praemonstret, tendatque manu, ac bonus offerat ultro.
  Interea conceptum animo ne discute votum;
Ne tu, magne hospes, sanctum, atque optabile verte
Consilium: vocat insignis te gloria facti
Clamore ingenti: vocat indiga turba: reclude (vox;
Nunc nunc thesauros: age (mandat non hominum haec
Rex magnus, Rex nempe deûm, bonus aetheris Auctor
Praecipit) horrentes inopum tege vestibus artus;
Jejunosque fove; positisque per atria mensis,
Ne pigeat crebro conventum accersere egenum.
  Praeterea (quo jam non ardor honestior ullus

Te, reor, hospes, agit) magnis non parcus honores
Coelicolis defer meritos: delubra per urbem
Pone frequens, arasque sacra, ac simul instrue magnis
Muneribus, festosque dies de nomine divûm
Institue. O quae fama tuum, quae gloria nomen
Attollet coelo! quam te tua vivida virtus
Civibus insignem quondam dabit! o tibi quantis
Laudibus assultans, generosa per oppida circum,
Perque agros passim, tua facta Hetruria dicet!
Ardua Coelicolis effulgere rite dicata
Adspicient populi cum templa; auctorque per urbem
Tantorum Orandes operum, positorque feretur.
Quamquam autem o moneo, ne tu popularibus auris,
Ne vulgi mulcere animum clamore profani:
Votorum tibi enim summi Regnator Olympi
Spectator sat erit tantum, assertorque tuorum.
Jam vero haec multis. Ecquid mihi tertia dona
Excessere animo? praerupti ne horrida montis
Saxa, Lavernicolis male quondam insessa profanis,
Et nemus umbriferum, et caeca antra indicta relinquam?
Cum tu olim ista meis sociis, gentique futurae
(Postuma si qua mihi ventura sub aetheris auras)
Cedere cuncta velis, nostrosque exire sub usus
Constituas. At me donis sine numine divûm
Haud reor his oneras. Quid dehinc, si comoda votis
Antra, nemus, scopulos, lucos, deserta, latebras,
Alta dabunt montis juga nostris? O mihi rere
Quicquam optabilius contingere posse? quid aeque
Demulcere animum queat ac tua munera nostrum?
Ne sic alta quidem Parnassi culmina (nec si
Nulla redarguerent priscos mendacia vates)
Sollicitent; non sic pomaria flava sororum
Hesperidum moveant; non sic genialia tempe
Me capiant, ut saxa juvant, atque antra Lavernae.
Quis vero tibi, magne hospes, quis praemia factis
Aequa tuis referat? Primum dignissima, recti

Di semper memores: tua dehinc te maxima habebit
Semper honoratum virtus, nec laudis egentem
Unquam destituet; sed enim tua dona loquetur
Longa dies: canet Hetruscas ea fama per urbes
Ardua, et externas vehet indefessa per oras.
Sed jam ego quid tantis onerans te demoror ultra?
Non vox, non praeco, non deerit gratia factis.
Crede (viam inveniet rerum certissimus ordo)
Crede: exsurget enim fandi non fictor inanis,
Non levis, at numeris gravibus narrator, opimas
Qui laudes dicat, qui facta ingentia cantu
Attollat coelo. Tantum hic ego pectore toto,
Ingentis quem das monumentum, et pignus amoris,
Accipio montem, et nostros complector in usus;
Natorumque, ac dehinc si qui mea fata sequentur
Natorum nati, quibus horrida suadeat ardens
Incolere antra animus, lucosque habitare Lavernae.
 Me vero (sese primo cum crastina Eoo
Attollens Aurora, polo dimoverit umbram,
Et roseam terris lucem, rebusque colorem
Reddiderit) mox hinc digressum, longa necesse est
Accipiat via, tanti haudquicquam muneris olim
Immemorem. Sed quas coelestia fata per oras
Ire velint, lustranda meis quae gressibus arva;
Me ne Italas tantum gentes invisere, seu jam
Di magis externos fines, et noscere mores,
Ignotoque acres sub sole haurire labores
Compellant; adeo incertum est: mihi sed vaga solum
Servitia, instabilisque obtendunt munia vitae.
Hinc reditus ne certa quidem mihi tempora: nec te
Exigere id fas rere, hospes gratissime; quamquam
Multa licent de me tibi, quamquam exposcere multa/
Et tamen haud frustra (nostram sic numina firment
Sancta fidem) spondere ausim, meme hospita rursum
Tecta haec visurum: tunc et scruposa Lavernae
Nubiferae antra mihi lustrandi tempus: ovantem

Tunc me laeta sinu frondoso culmina montis
Accipient, primum nemora inter densa colonum.
Tu vero interea ne rebus defice egenis;
Sed strue rupe casas, aut frondea tecta sub altâ.
  Talibus Hetruscum consolabatur amicum
Franciscus. Sol interea solvebat Ibero
Littore defessos bijuges, pronusque lavabat
Hesperio sub fonte comas, vultumque rubentem.
Dant mensae Cereris, nox intempesta quietis
Munera; compositosque sopor suus occupat artus.
  Postera lux primo Franciscum excusserat ortu.
Impiger e stratis mox sese corripit ille,
Sopitumque manu fidum, de more, Lyaenon
Sollicitans: Age, digressos (ait) haud breve nos hinc
Poscit iter: labor eximius compellit ad oras
Externas: tu rumpe moras: nos afflat anhelis
Phoebus equis, rutila perfundens lampade terras.
Sic memorans, fidi praeclaras hospitis aedes,
Ipsum et moerentem, festinatosque regressus
Orantem, et dextrâ acceptum sese usque tenentem
Linquebat, multamque dabat laeto ore salutem.
Ceu pater, Eoas longinqua per aequora ponti
Quaesiturus opes, extremo in littore natis
Nunc instat monitis, nunc oscula, nunc rapit arctos
Amplexus: ciet interea de puppe morantem
Navita, jamque sinus pandit, solvitque rudentes.
  Ergo adeo egressi simul altis moenibus, ambo
Festinant heroes iter, cursuque citato,
Transiliuntque cavas valles, montesque supinos
Obnixi exsuperant. Coepto non ulla labori
Interfusa quies: fulgentem praevia virtus
It simul obtendens vultum, sternitque malignas,
Emollitque vias: olli pernicibus ingens
Corripiunt plantis spatium; Rubicone relicto,
Exigui donec libantes flumina Rheni,
Praegelidis curent defessi corpora lymphis;

Et tu Cecropiae sacrata, Bononia, divae,
Heroas pacis coelestia dona ferentes
Agnoscas, ultroque pios laeto ore receptes.
Sol jubar oceano demerserat; atraque fuscis
Nox terras complexa alis, lucemque, coloremque
Abstulerat rebus; somnusque oppresserat altus
Gressigerûm, volucrumque genus, pictosque colubros;
Fluminaque, et sylvae, colles, ager, arva quierant:
Tantum indefesso currebant sidera lapsu.
At pater, in morem, Franciscus, tecta domorum
Suffugiens, mollisque tori, dulcisque quietis
Dona exhorrescens, herboso in littore Rheni,
Sollicitis imo versabat pectore curis
Longum iter; et magni simul, externique laboris
Eventum orabat facilem: cum victa sopore
Duro membra solo stravit, tandemque petivit
Non importunos defesso corpore somnos.
Ecce autem sensus vix prima oblivia passi;
Cum Regina deûm (qualis Natoque, Patrique
Sese ultro spectanda infert) adstare jacenti,
Et mulcere animi curas sic visa loquendo.
Quid tu longinquos ardes lustrare recessus?
Quidve acres tentare paras, vetitosque labores?
Non datur hoc: Natus non his meus annuit orsis.
Non Rhodanus, non mitis Arar, non te excitus undis.
Fluctisonis Liger expectat; non magnus Iberus,
Non Tagus auricomis vocat invidiosus arenis.
Gens externa tui sortitus ipscia: sed quae
Jam tibi Romano surgens e sanguine passim
Ostentat sese pubes, inopumque sub armis
Effulget (scis ipse) olim tua rite capessens
Jussa, neque alpinas cautes, aditusque nivosos
Horrescens, sponte hoc tanto sub fasce laborat.
Et nunc aequoreae partim limosa Garumnae,
Partim Atlantei flaventia littora Baetis
Pervadens, clarae festina pr paginis urget.

Incrementa tuis castris , sociatque Latinis
Barbaricas acies ; longo haud post tempore ductor
Una omnes quas ipse meo snb numine coges
Concilium in magnum : tantis formosa Subasis .
Hospitium dabit ora, ea serviet una catervis . (que
Tum prolem ipse tuam adspicies, procerumque, ducum-
Et numerum optatum, et praeclara insignia disces.
At modo surge, moras rumpe, arva revise Subasi.
Sopitum sic Diva monet, monitumque relinquit .
Excutitur, gelidoque solo se corripit heros,
Attonitus visis; supplexque ad sidera palmis
Sublatis, tali fugientem voce precatur.
Diva potens coeli, Genitrix pulcherrima Regis
Siderei, thalamique expers, sanctique pudoris
Haud unquam immunis; quae te modo tanta fatigat
Cura mei ? duros ne hodie mihi, Diva, labores
Solatura venis ? O, me quocumque vocaris ,
Sponte sequar : tu parentem meme accipe jussis,
Diva, tuis, arceque malis, et numine dextro
Adsis, eventuque pio tua dicta secundes .
Talibus orabat; Divam sic ore ciebat .
Tum vero accersit fidum, ad seseque Lyaenon
Accipit; et monitusque Deae, et visa ordine narrat.
Moxque iter incoeptum linquunt, retroque citatum
Ad flavum vertunt cursum, celerantque Subasum .
Interea Latiae pacata per oppida gentes,
Securae martis fremitus, secura malorum
Otia, felicisque agitant bona tempora vitae .
Namque, ut ab aethereo divûm Pater altus Olympo
Despiciens terras, jam tum placabilis, imas ,
Et cladem pestis tandem miseratus acerbam ,
Finibus Eumenidas superis decedere jussit ;
(Haud mora) continuo populi meliora sequentes
Consilia, in priscos revocant liventia mores
Pectora ; rursus amant monitus, legesque severas .
Ex illo Superis meriti instaurantur honores:

Intermissa diu passim sua liba repostae
Accipiunt arae : atque ignes pia dona cremantes,
Aethera fumifico nidore, et templa vaporant .
  Franciscus vero (neque enim usquam pectore virtus
Ardens absistit ; non usquam inserpere quicquam
Herois dat segne animo) non dura laborum,
Non trepidus perterrificos horrescere casus :
Quin mentem assueto, sanctoque accensus amore,
Tota Subasaeae quo mox simul agmina gentis
Conveniant certam ad sedem; numerumque suorum,
Nominaque, atque acies, et sacra insignia discat
Franciscus, pater ipse ducum; et praeclara Subasi
Gloria, quaque Indos, et qua sol spectat Iberos,
Fulgeat, ac sublime caput tandem inferat astris.
His inopum coetus tum sic rumoribus actus,

Instaurat sacros cantus, atque acrius instat
Ritibus aethereis, donisque impensius aras
Instruit, ingeminans cultus, et laudis honores.
Scilicet imploratque deos; summumque deorum,
Supplicibus votis, Genitorem, animisque precatur:
Reginae sed enim aethereae spectabile numen
Multa vocat; tantique assuetam numinis auram,
Auxiliique exposcit opem, eventumque negoci
Felicem exorat magni: tandemque vocatu
Indigetes crebro, et precibus compellat amicus.
At pater (hic primum rebus fortuna gerendis
Nimirum oblata est par, atque accommoda visa)
Centurias gentis mox rite Subasidis omnes
Ad sese acciri, sistique ex ordine curat.
Praecipue vero jussis, ductoribus instat
Conveniant, multa edicens; jam tum ipse coactos
Quos adeo unâ omnes optat spectare; quibuscum
Opportuna queat magnis de rebus habere
Consilia, atque acres justo simul ordine curas
Quondam partiri, et duros aequare labores.
Nec non et leges, et, qui modo traditus, ordo
Vitaeque, et cultus, quo jam venerentur honore,
Explorare optat: num liba, et munia divis,
Nosse cupit, num jugis honor praefulgeat aris.
Ergo adeo cursum simul accelerare jubentur,
Flavaque conventu celebri petere arva Subasi,
Et sacra aethereae delubra invisere Divae.
Nuntia fama volat, primum vulgata per urbes
Finitimas; (nec dehinc mora, tollitur alta per auras,
Nubilaque atra secans, cursum rapit excita, et oras
Externas invisit ovans, longeque repostos
Sese agit in populos, vigil, immunisque quietis;
Donec sublimi, celerique impulsa volatu,
Limina cuncta manu gentis contingat egenae;
Atque improviso mandata, urgentia cursum
Concilium ad magnum, valvis affigat apertis.

Tum vero una adeo cunctos idem ardor eundi
Urget: amant omnes quamprimum linquere sedes,
Quisque suam: haud animos labor, haud perplexa viarum
Territat ambages: heroa audire loquentem
Tam magis exardent, quam lux magis aurea gliscit
Usque viri, nomenque ingens crebrescit ubique.
Nec mora, jam e cunctis egressae partibus ibant
Centuriae, flavique petebant arva Subasi.
Non tamen effusas passim, ac sine lege ruentes
Ire datum; sed quaeque suum, de more, caterva
Ductorem insequitur, certoque iter ordine tendit.
At tu, magne pater (tibi primum haec agmina nos-
Signa, duces, structasque datum lustrare cohortes: (se,
Nobis jam facti seriem longa occulit aetas)
Pande modo, quam quisque ducum, quibus egit ab oris
Tunc aciem: flava die deinde e rupe Subasus
Arduus adspexit tentoria quanta per agros,
Tam multas, tam diversas coïisse sub uno
Nomine demirans gentes: dic denique pubis
Tam spernacis opum, et jam tum simul omnium egenae
Agmina quod numen coelo respexit ab alto:
Quis deus auxilio victus advenerit illis,
Gramineosque toros, positasque sub arbore mensas
Struxerit, extemploque epulis onerarit abunde.
Prima, Lavernigenae passim quae Tybridis oras
Foecundas abjuncta locis, quaeque arva Subasi
Flava colit, quam sulphureâ Nar albidus undâ
Alluit, et niveo Clitumnus gurgite creber
Perfundit, generosa cohors, duce lecta sub uno,
Ingreditur. Non hac e toto pulchrior ulla
Succedit numero: nulla hac violentius atras
Eumenidas premit, et regnis insultat avernis
Acrius; omnis eam legio miratur euntem,
Attonitisque inhians animis, hanc suspicit unam.
Ipsa caput populis, sceptroque insignis eburno,
Incessu regina gravi, sacra arva pererrat,

Mente polos, atque astra tenens, animoque furentes
Proculcans hostes, stygiae fera monstra paludis.
Post hanc, Picenis e collibus exsilit ardens,
Signa improviso attollens, pulchrisque sub armis
Effulgens ductor; totum cui protinus agmen
A tergo subit, et longo micat ordine pubes:
Gens quippe haud virtutis egens, haud indiga laudis;
Nil armorum expers; molli haud assueta quieti;
Non ignara mali. Qualis sub nocte minores
Astrorum currus inter micat aurea Phoebe,
Jam luce adversâ fraternae lampados icta:
Namque, ut flavicomo vicinior alta Subaso
Castra tenet, magnumque patrem vel prima vocantem
Audivit, captâque ducis stipe, fortibus ausis,
Addixit sese castris, patrique vocanti;
Viribus invictis ita clara, animisque superba,
Nequicquam trepidans, nequicquam bella perhorrens,
Ardua signa fovet, laetisque onerare triumphis
Festinat: tantos versat sub pectore honores!
Hinc et Tarpei supremo in culmine saxi,
Assuetus lustrare suos, et cogere coetus,
Et mulcere rudes, et fortibus addere saeva
Jura animis, cano praefulgens vertice ductor,
Procedit: totâ non hoc maturior aevo
It turbâ, et Pylios cui jam non aspera soles
Fata negent, dignus. Juxta huc Aeneia sese
Prima acies infert: cui mox bonus incola sacri
Soractis, comites nequicquam adjungit inertes.
Addunt se laeti celso de colle Falisci:
Et qui Vestinos rastris, et vomere curvo
Exercent colles, Marrucinique coloni
Accedunt, canique ducis sub nomine fulgent.
Adsunt qui gelidos urnâ, potuque Velinos
Exagitant fontes, et Rosea vomeris unco
Arva insectantur. Mittunt Aniena magistro
Flumina longaevo lectissima corda virorum:

Mittit opes Anxur niveum, crebrosque colonos
Delegat Pontina palus, delegat et Ufens.
Insuper herbosis Marsorum e montibus acres
Adsunt tyrones, tetricâque e plebe Sabellâ:
Durum utrumque genus; quibus et pastorius omnem
Mos cultum, victumque dabat: sed providus illis
Demulcensque animos dictis, et pectora labens
Signifer ore pio, saevos mansuescere sensus
Edocuit, legesque pati, monitusque coëgit.
Centum aliae, ex aliis vicis, insignibus altis
Romulidae sese ducis addixere catervae.
Nec mora, continuo, longo structa ordine latos
Linquit Iapygiae campos, signa alta ferente (unum
Sub duce, laeta manus: patriam huic unam, aut genus
Nec mores, nec lingua sonant; quamquam omnibus idem
Cultus, idem studium, et curâ raptantur eâdem.
Namque hos dux Solymi deduxit moenibus; illos
Plebs Canusina dedit; gelidis dehinc Fucinus undis
Mille alios misit, corda indefessa labore.
Tum variae gentes (magnus quas vertice ab alto,
Per latos sparsas Garganus prospicit agros:
Garganus Duce sidereo, temploque superbus
Augusto, ingenti, atque argento divite, et auro;
Fumoso horrifici cui fornice mille sub antri
Igne calent arae vigili, redolentque Sabaeas,
Et Cilicum messes, sertisque virentibus halant)
Agmina dant passim: mituntque ex ordine coetus,
Quos Salentini, quos educat ipse Neactus,
Quos Sybaris, Samiae quos moenia docta Crotonis,
Quosque Arpi, atque Hydrus, Lacedaemoniumque Ta-
Accedunt acies, mittunt quas rite coactas (rentum.
Olim Romano spumantes sanguine Cannae:
Tum, quae Sebethi ripas, cineresque vetustos
Sirenis liquere, adsunt; atque agmine denso
Signa ducis stipant hilares: quibus ordine Locri
Naricii dant se comites: tum denique jungit

Littore ab extremo postremum Rhegion agmen.
Cesserat Hesperiâ, Siculumque evaserat aequor
Fama Subasaei conventus nuntia: jamque
Sicaniae tota ora fremit: moxque indiga pubes
Fervet amore viae, studioque ardescit eundi.
Tum bonus exsurgens dux, atque insignia tollens
Laeta manu, ciet ingenti clamore phalanges.
Nec mora, festinant: coetus simul undique lecti,
Quisque suam linquunt sedes. Zanclea vocanti
Ductori mox prima acies, non segnibus ausis,
Haeret: eam arctoi linquens angusta Pelori
Littora, subsequitur: tum quae saxa alta Pachyni
Incolit imbriferi, subit: huic Lilybaeia sese
Agglomerat pubes, idemque insignibus haeret.
Caetera confuso varias gens ordine sedes
Linquit: adest Erycis cultor: properantque catervae,
Quas Agragas praecelsus alit; quae mitis Elori
Stagna bibunt: et quae circum Symethon aquantur:
Quaeque Arethusaeos permiscent ore liquores:
Et Cyanes haustu lacrymas, urnâque frequentant.
Adsunt, quas Drepani littus, quasque alta Panormi,
Sive antris tectas, seu lucis, moenia pascunt.
Jamque instructa omnis legio undas classe premebat,
Naufraga quâ ponti rabies, visque effera, littus
Hinc Italum angusto, Siculum illinc proluit aestu.
Jam vasto epotos revomentem gurgite fluctus,
Zancleam e summa spectabat puppe Charybdin;
Plenaque circuitu flectebat carbasa laevum
In latus, aequoreis canibus resonantia Scyllae
Sub rupe adversâ devitans ora biformis:
Tum vero optatos velis a puppe sequentes
Dat Zephiros: rapit acta levi placida aequora cursu,
Et laeta Euboico potitur mox littore classis.
Emicat in siccum, primoque in margine pubes
Constitit omnis: eam monitis, victuque refectam
Dux bonus accingique viae, longoque labori

Hortatur : parent omnes hortatibus: at lux
Nona Subasaeis parentes sistit in agris.
Interea , parte ex alia , percurrit Hetruscos
Fama agros, scandit montes, caeca antra recludit,
Invisit lucos , nemorumque silentia rumpit .
Tum vero effulgens pulchris dux pulcher in armis,
Attollit signa , et coetus vocat undique egenos.
Haud mora, continuo primi, quos sufficit Arnus ;
Arnus florentem pulchro qui dividit urbem
Amne, secatque agros, cursu formosus amoeno ;
Assistunt ultro: sequitur dehinc, moenia linquens
Aretina , acies: tum quae Clusina frequentat
Arva (terrore latent non extricabilis urnae
Qui cineres, Porsenna, tui) subit agmine laeto:
Huic sese comites addunt qui littoris oram
Piscosam, Thrasimene, tui , tenuesque phaselos,
Retiaque, et remos , udo cum foenore linquunt:
Insuper Alpheae Tyrrhena insignia Pisae
Nequicquam exosae , Tuscâ de gente petitis ,
Adscitisque sibi castra indiga coetibus augent.
Ergo ibat tum ductor ovâns ; jamque arva Subasi
Laeta tenens, acies Divae sistebat ad aras .
Hic improviso dux imperterritus oris
Adstat ab Adriacis, longoque agit ordine gentes
Tergeminas. Ipse in medio, praestantibus ausis ,
Vertitur, ore canens, dextrâque arma indiga tollit;
Tam magis effulgens, et claro laetus honore,
Quam magis innumerae coelo se gloria gentis
Attollit. Primos huic, quam tu flumine, mitis
Rhene, secas parvo, Phoebea Bononia coetus
Subjicit: hos sequitur quae linquit Ariminon, et quae
Scindit arenosi Rubiconis littora pubes .
Tum quae coenosae liquerunt arva Ravennae ,
Accedunt, hilaresque ducem comitantur euntem
Rite manus: mox centum aliae; quas deinde, per oras
Littoreas , passim obscuro sub nomine pagi ,

Et clarae legere urbes, populique potentes.
Hae simul unanimes heroem ad sidera tollunt
Voce Subasaeum, laetaeque unâ illius omnes
Facta canunt: ut siderei jam diruta Regis
Instauret castra; ut magni regalia tecta
Praesulis attollat; sacram ut suffulciat aedem.
Ceu, dum Maeandri, seu per vada nota Caystri,
Jam pastu saturi, jam tum raptoris obuncum
Nil formidantes rostrum, laeto agmine cygni
Dant nivei cantus; stagna alta, amnisque canoris
Respondent modulis, et florida prata resultant.
Continuo his, nec more adeo, nec sanguine distans,
Immiscet coetus sese: huic genus Eridanus rex;
Eridanus pater Hesperidum, ac generator aquarum;
Flumine qui centum pagos, centum alluit urbes;
Ingentique hominum centenis usibus alveo
Nec vectare rates, campis nec fundere rivos
Desinit, avulsasque trabes devolvere; donec
Fluctibus Adriacis pronum caput altius abdat,
Et septemgeminis proscindat cornibus aequor.
Ergo hic ductori circum sua flumina gentes
Advocat in coetus: celeri mox undique cursu
Laetae acies properant. Athesin prima agmina lin-
Exin Ticini ripis assueta vadosi (quunt:
Adveniunt: et tu (melior nunc, aspera quondam
Damna ferens, spectare tuas dum sanguine ripas
Romano juvat undantes; et laeta triumphis
Gentis Agenoreae coelo se gloria tollit)
Das coetum, o Trebia, insignem fulgentibus armis.
Tu quoque, dives avis, lauroque apprima virenti
Fulgida, Idumaeisque insignis Mantua palmis,
Ultro ades, agmen agens pulchrae pulcherrima gentis:
Et, qui te placido cursu, vitreisque fluentis
Alluit, et stagno pariter circumdat inerti,
Laetus ab auricomo Benaci littore, coetus
Expertos rerum comites tibi Mincius addit.

Abduaque hinc , Lambrique tibi piscosa catervas
Littora delegant crebras: struit Ollius inde ,
Transmittitque acies: nec te vicina Cremonae
Moenia deficiunt: ingentisque accola Lari
Creber adest: cunctae tibi enim tibi, Mantua, sese
Hae comites jungunt acies , unâque volentes ,
Tollunt Adriaci tecum pia signa magistri.
  Tertius ecce virûm, duce mox, signisque sub isdem,
Impiger exsurgens Venetis globus instat ab oris.
Huic se prima manus , cineres , antiquaque magni
Busta Phrygis linquens (assuetaque pinguia circum
Littora Medoaci laetas suspendere glebas
Vomere, et aeratis sudibus, de more , juvencûm
Terga fatigare, et duro fodere hispida ferro)
Admiscet : tum, quae non segnis Iapidis oram,
Et vada praecipitis linquit saxosa Timavi,
Plebs subit; et comiti mox sese interserit ultro.
Adsunt quos Aponus fervens excalfacit aestu
Sulphureo: calidis hi tabida corpora lymphis
Mersare assueti, morbos, et cuspidis ictus
Mulcebant olim saevos, atque arte levabant :
At nunc Phillyrides melior docet ; altius illos
Numen agit; laetos opera ad majora relegat.
Hos super, Euganeos linquens denso agmine saltus ,
Lanigerosque greges spernens, hirtasque capellas ,
Spernens, et mulctras dulci cum lacte capaces ,
Advenit coetus ; sylvestria pectora curis
Jampridem exutus patriis, jam sponte caducas
Dedignatus opes . Ergo hi jam corpora duro
Exercent cultu ; perque acres ire labores ,
Ignotisque malis paulatim assuescere cogunt .
Pulvere nuda premunt duro vestigia : lanis
Quaesita externis, rigidoque asperrima textu
Tegmina habent membris : succingunt reste fluentes
Nodosâ endromidas : capiti tutamen ab armis,
In morem, pendet rigidum; quod saepe reductum

Fronti hyemem, nimbos, et solis temperat aestus.
Tot proceres dederant; tot lectos ordine coetus
Itala regna, patris Francisci signa ferentes:
Cum procul apparet subito gens extera, linguâ
Tam diversa sonans, Latio quam sanguine distans.
Ergo iter emensus longum, durosque labores,
Alpinisque jugis adeo post terga relictis,
Dux festinus adest, ingens quem Gallia mittit:
Gallia post Latias urbes quae proxima subdit
Colla jugo, monitisque sacris, et ad ardua cogit
Signa Subasaei patris, non parca, cohortes.
Ipse autem prior, et claris virtutibus ardens
Laetus init; laeto sese fert ore priorem:
Ostentatque animos; et vivida corda suorum
Accendit comitum; dictisque hortatus amicis:
Ite (ait) hac nostris monitis tenus acta juventus;
Ite: viae labor expletus: jam jamque potiri
Francisco dabitur: jam fas erit ore propinquum
Compellare virum, pariterque audire loquentem.
Ut vos divini conspectus, et alta magistri
Colloquia, ut patris monita intemerata juvabunt!
Ut pulchrum nostra nomen de gente petitum
Jam jam dulce sonas! Latio ut jam sanguine gaudes
Ornari! Mox tempus erit, cum Caspia regna,
Quaeque ad hyperboreum penitus compulsa Booten,
Gens riget assiduis nivibus, canisque pruinis,
Te simul andierint: te, qua niger auster arenas
Exsiccat bibulas; quaque occidit Hesperus, et qua
Exit ab Oceani formosus lucifer undis;
Ingentes populi numerosa per oppida norint.
Haec ductor: peditum ductorem crebra sequuntur
Agmina, densanturque manus, atque ordine pompis
Solemni incedunt structis; sacra limina donec
Reginae ingressae divûm, vota anxia solvant.
Prima acies, una ante alias, Parnassida quae mox
Massiliam linquens, dulcisque feracia bacchi

Jugera, ductori se pridem adjunxerat ultro,
Ingreditur, comitumque pio ciet agmina cantu.
Tum sequitur plebs laeta, Araris quae littora mitis
Curva tenet: quaeque ingentes vaga permeat oras,
Quâ foecunda pater Rhodanus secat incitus arva;
Et quâ Tyrrheni turbat vada salsa bicorni
Fronte maris. Sed praecipue micat aurea pubes,
Glandiferos saltus, umbrisque nigerrima densis
Quae nemora observat; gemmis ubi dives, et auro
Urna tuos cineres, virgo Bethana, recondit: (umque
Virgo, quae superûm Regemque, Hominemque, De-
Saepe una hospitio recipis, lautosque paratu
Regali struis una toros; manibusque recentes
Hospitis una tui das lymphas, pocula misces;
Sola penum tu rite paras; tu sola penates
Messe adoles Arabum; tantoque in munere segnem
Increpitas, querulâque infestas voce sororem.
Quis te, magna Dei cultrix, atque hospitis hospes
Siderei, quis facta piis tua laudibus aequet?
Nam te squamigeri nequicquam, virgo, draconis
Terruit os immane, ingens; frustra efferus altis
Attollens cristis ardentia colla, veneno
Te petiit saevo: quin tu imperterrita contra,
Jam super ossa hominis, semesaque viscera fusum,
Mox aggressa, manu mulcens in vincla petisti.
Tu juvenem rapidis elisum fluminis undis,
Non ope phoebea, non vi, non graminis usu,
Sed prece mortali, divûm immortalia flectens
Corda potens, Stygio revocas, atque eximis Orco,
Et rursum aetherei vesci das luminis aurâ.
Tu Gallum regem immanem, dominumque superbum,
Hospitis, alma, tui quondam venerabile numen
Ore incestantem, deridentemque profano,
Aggrederis dictis audax; linguâque magistrâ
Dejicis, exturbasque, fugasque e corde furorem:
Jamque animi victum, jam tu meliora sonantem

Ore pio, immersum sacri tu fluminis undâ
Attollis; puroque aurae jam simplicis igne
Fulgentem, aethereis tu provida sedibus infers.
Salve, diva, poli decus, et cynosura profundi:
Adsis o, placidoque invisas numine terras.
Interea gentis seriem, numerumque sequamur,
Aequemusque tuos cantu, bona Gallia, cives,
Laeta Subasaeis quos ultro insignibus addis.
Accola deinde tuae, formose Druentia, coetus
Succedit ripae, ripae felicis; amores
Tyrrhenûm, de more, suos quae saepe canentem,
Mulcentemque lyrâ nemora alta, et moenia vatem
Audiit, arrisitque, assultavitque canenti.
Hunc sequitur delecta cohors, quae cesserat agris
Ultro Santonicis; et quae limosa Garumnae
Alluvie pridem rastris inverterat arva.
Instant Bellovaci post has: dehinc Lingones acres,
Jam tum animis mites, naturalique furore
Jam corda exuti: tum, quos, per saxa fragosum
Praecipitans cursum, rapidis Liger excitat undis.
Hos super accedunt, seu clara per oppida vulgo,
Sive per obscuros assuetae ducere pagos
Esseda, mille manus; omnes quas Sequana praeceps
Delegit, Latioque patri transmisit ovantes.
Tanta haec obtutu celsâ de rupe Subasus
Agmina devexo spectarat: et ecce subortus
Alter ab Hesperio gentis globus emicat orbe.
Miratur legio omnis hians, stupet ipse Subasus
Externa de gente ducem, peditumque sequentum
Instructas, in morem, acies longo ordine; quas tu
Ultro ad Romanos transmittis, Iberia, campos;
Franciscique volens castris addicis egenis:
Jam melior, divûmque piis jam nutibus acta;
Jam tristis, quod in arma ruis, quodque impia, ferro
Velatos oleâ, et niveae felicia quondam
Ultro oratores pacis tibi dona ferentes

Excipis, innocuosque obtruncas, nescia quantum
Molirere nefas, quanti rea criminis esses.
At vero, quos tu crudelis vulnere saevo
Heroas vitâ spolias, Rex altus Olympi,
Casibus exemptos dirls, interserit astris.

Ergo ibat ductor; quem mox prima agminis ala
Passibus aequabat, rutilos turbare meatus
Quondam assueta Tagi, et flavas subvolvere arenas:
Tam magis exardens, simul et virtute nitescens,
Quam minus effulgens patrii jam fluminis auro.
Huic vero insignis flavâ Tritonide Bethys,
Continuo socias, praeclara e gente petitas,
Addiderat bonus ipse manus, corda inscia fraudum,
Et durata malis, assuetaque parcere mensis.
Nec minus, ingentes foecundans maximus agros,
Junxerat et comites certatim, haud parcus, Iberus:
Et qui Pyrenen tenet altam, accesserat: et qui
Herculeam Calpen, Tartessiaque arva frequentat.

Talis init, tantis cuneis stipatus ab orbe
Ductor Atlantaeo, tali ciet ordine pompas.

Interea occiduo sol aureus igne rubescit,
Fumiferasque urget devexae Tethyos undas.
Astrigerum toto sensim nox humida coelo
Attollit caput, et terras obnubit inertes;
Componitque hominum curas, motusque ferarum.
Tum proceres cogunt fessas, curantque phalanges,
Quisque suam; seraeque jubent dare membra quieti.
Fit strepitus primum lenis: sinus occupat artus
Mox sopor extructos, et juncea tecta silescunt.

FRANCISCI MAURI

RISPELLATIS MINORITAE

FRANCISCIADOS

LIBER XI.

ARGUMENTUM

Sollicitus de tot sodalibus alendis, Franciscus precatur Deum, cujus vocibus, signisque secundis recreatur =1= 79. *Narratur deinde, quomodo diversa munia cuncti sodales concilii obibant:* = 111. *utque die sacro Pentecostes, accitis universis in circum gramineum, quem lucus opacum reddebat, Franciscus suggestum ascendit, dicturus quae ipsos vocandi fuerit causa, iterumque docturus mandata, quae ante jam dederat: sed prius divinum advocat Spiritum* = 203. *Prosequitur postea, et loquitur de ritibus Subasaeis inter externas gentes diffusis: de aliis piorum hominum societatibus, et praesertim de illa, quam D. Dominicus eo tempore frequentem adsciverat: de traditis legibus, et praecipue de uno ministro totius coetus eligendo* = 262. *Cui muneri quum ipse, laboribus exhaustus, impar jam sit, vigiliam suam tradit Jolliae, nempe Eliae, eumque admonet de officio administrando* = 318. *Tractat insuper de tribus suae societatis principiis : docet evigilandum*

esse contra Erebi insidias; proptereaque adamandam paupertatem; eique coetus comittendas habenas; cujus virtutis, adeo Apostolis dilectae, cuique immensa in coelo praemia parantur, praedicat laudes; caveant, ne cultus, aut victus cura illos solicitet; = 475. *ne foedarum rerum amore, sed modo coelestium cupidine inflammentur: denique felices eos fore, si paupertatem unice diligant. Quibus dictis, conventus omnis ad Beatae Virginis aedem se confert* = 568. *Dum haec in terris geruntur, Deus, advocatis coelestium Alituum agminibus, Franciscum commendat: egentisque coetus miserans angustias, uni ex illis imperat, ut vicinis pagis, oppidisque mentem immittat cibi potusque ad Subasum comportandi: quod statim divinus Nuntius exsequitur* = 665. *Tum gentes innumerae subeunt ante omnia delubrum: deinde per herbas se dapibus instruendis accingunt; Franciscum, et omne illius coetum invitant* = 694. *Postquam fames epulis exempta est, Franciscus altricibus catervis gratias agit, eisque dat monita salutis aeternae* = 790. *Oranti vero ante aram nocte intempesta, adstat illi ante oculos coelorum Regina, eumque monet de fatis instantibus; Orandum invisat, ac deinde petat Lavernam* = 863. *Igitur socios extremum coactos Franciscus concilio dimittit; quaeque sibi eventura sint, praenuntiat.*

Ut pompae ingentis seriem, procerumque senatum,
Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
Agmina lustravit Franciscus; ut ire per oras
Longinquas Italum decus audiit; utque sonorem
Nominis ipse sui late volitare per orbem,
Externasque inter sua jam tum effulgere signa
Accepit gentes; stetit, obtutuque reducto,
Ora solo defixa tenens, immobilis haesit.
At postquam excussus stupor horridus, ac simul acer
Attonitae excitus mentis vigor, ilicet una
Et moles rerum tantarum, atque exitus anceps
Fortunae, incubuere animo: tum fluctuat aestu
Curarum ingenti, nunc huc, nunc incitus illuc.
Mox vero (haud etenim, queat unde exposcere ege-
Auxilium rebus, quicquam mortale repertum est) (nis
Suspicit aethereos ignes; et mente beatas
Perlustrat sedes: tum compellare deorum
Quem prius ore queat, quem dehinc in vota vocare,
Multa animo versat; simul et cunctatur in omnes.
Ergo alte castris dum rite siletur, et omnem
Somnus habet turbam, mediumque agit aurea Phoebe
Per coelum niveos currus, noctisque minores
Diffugiunt, totoque ignes caput aethere condunt;
Protinus, in morem, templo bonus adstitit heros,
Affususque aris, dedit imo has pectore voces.
Magne hominum, divûmque Opifex; cui lucidus ae-
Servit ovans, paret tellus; cui marmoris undae (ther
Fluctisonae sese sternunt; cui Tartarus horrens,
Et chaos, atque umbrae, umbrarumque inamabile re-
Cumduce, cum solio, cum gente a sedibus imis (gnum,
Attremit infanda; cui mille, per atria coeli,
Aligerâ de plebe micant, diversaque servant
Castra, locis diversae acies, atque aurea circum
Ter solia, et medium te cingunt ordine trino:
Adspice foeturam nostrae, laeta adspice gentis

Incrementa, Pater: placidus, vultuque sereno
Adsis o, faustoque veni pede: numine dextro,
Auxilioque juves nos, ardua coepta moventes.
Quales bissenas acies, Pater optime, quondam
Bissenum accipimus natas e sanguine fratrum;
Dum Pelusiaci laetas prope fluminis undas
Adstant, moerentes opera ad servilia, regis
Et jussa immanis, devincti, saeva facessunt:
Quas dehinc vi multa, aerumnis, dominique superbi
Imperio ereptas, tu per vada sicca profundi
Ducis Erythraei, tutoque in littore sistis,
Errantesque diu per lustra horrenda ferarum,
Tu bonus aethereis epulis das ire refectas:
Talem haec sese infert legio, atque insignibus ultro
Subjecit nostris, nec praelia dura recusat.
Imo (o nunc, Genitor, tantos ne sperne labores)
Exutam jam cerne opibus: cerne omnium egenam,
Externas ultro, atque ignotas ire per oras.
At tu, magne Parens, nutu qui sidera torquens;
Si (quod squamigerûm pecudes, mutasque natantes
Monstriferis tot marmor alit, conditque sub undis;
Gressigerûm tellus acies tot sustinet; aër
Tot volucrum pascit) divini muneris unum
Te, Pater, auctorem facimus, meritasque dicamus,
Instruimusque aras, laudumque sacramus honores:
Dexter ades; bonus affer opem; rogo, suffice pastum,
Alme, hodie: res poscit inops: nec jam exigo lautum:
Frugis opus sat erit properatum; luxus abesto:
Stat sedare famem, non irritare profecto.
Sic orans, arasque tenens, haec audit ab aris.
Macte animo, macte eximiae virtutis amore,
Parce metu; mitte ardentem de pectore curam,
O nimium dilecte deis. Non hi tibi coetus
Aere tuo, Francisce, merent: tu signifer illis,
Rege jubente alio, cui mox alere agmina curae,
Cuique auctoratas acies parere necesse est.

Haec vox: dehinc nitidà coeli de parte sereni,
Continuo Pater omnipotens ter fulgure claro
Intonuit laevum; ac praetentam exscindere nubem
Igneus en, ardensque globus radiante corona,
Visus, terque aras flammis ambire coruscis.
Diriguit visu, mentemque exterritus heros
Coelesti fulgore, manus devolvit in ambas
Extemplo vultum, dejectaque lumina condit.
Dum vero attonitus visa haec pater obstupet inter
Castra per alta, suum in morem, jam strata relinquens,
Omnis ad assuetas pubes sese excitat ultro
Excubias. Sed non eadem cura omnibus instat;
Non idem exercet labor. Hi (quae maxima turba est)
Juncea tecta fovent soli, divosque precantur:
Libaque dant magno divûm intemerata Parenti:
Scilicet haud fibras pecudum, non thuris honores,
Non prosecta focis adolent; sed candida puro
Corda animo, veniam gemitu, votisque rogantes.
Hi coëunt simul ad cantus, de more, parati
Alternos hinc inde chori; Regisque deorum
Egregias dicunt laudes, divinaque facta
Voce ferunt: ut crudelis post funera mortis,
Tartarei validà confregerit ostia Ditis
Alta manu; ùtque elisum in vincla petiverit ipsum
Ore eructantem flammam, atque immane frementem;
Utque auras spoliis Orci remearit onustus
Ad superas; patrium tandem ut sublimis Olympum,
Nubivagum molitus iter, volucrique citatus
Ascensu intrarit; tonitruque ut deinde corusco;
Igne ruente polo, et magno quassante fragore,
Ipse suam pubem divinâ incenderit aurà.
Sunt quibus et cordi est arcana volumina vatum
Sollicita versare manu; penitusque sub altis
Sacra animis monumenta virum mansura recondunt.
Qualis agit medià vis acres nocte molossos,
Dum pavidas sopor altus oves, oviumque magistros

Stravit, et obscuris nox imbribus aspera caulae
Formidare monet furem, incursusque luporum:
Talis sollicitas, insopitasque cohortes
Cura urget, longâque premens sub nocte fatigat.
Interea croceos bijuges Aurora citabat,
Purpureumque caput vastis tollebat ab undis
Oceani; primumque novis fulgoribs altos
Paulatim accedens montes, de more, quietos
Rumpebat volucrum, pecudumque, hominumque sopores;
Et motum, et duros referebat certa labores.
Et jam sacra dies claro fulgebat Olympo;
Scilicet aethereo quae cantat ab axe ruentem,
Igne sonante, Deum, cumulatque altaria donis,
Annua solemnes recolens ex ordine pompas.
Tum vero insonuit totis vox incita castris,
Ad commissa vocans laetam comitia pubem.
Excitae confestim acies, longo agmine, circum
Cunctae ad gramineum tendunt; niger ilice densa,
Et sacer antiquae cui relligionis honore
Aestum adeo lucus ramis frondentibus arcet:
Quas inter medius dux ipse Subasius ibat.
Postquam, consessu structo, se caetera pubes
Composuit, densisque manus micuere sedentes
Ordinibus, suggestum, operī de more paratum
Quod certo pridem stabat, pater impiger altum
Franciscus scandens superat; turbam eminus omnem
Unde oculis legere adversam, atque agnoscere possit:
Moxque infit: consessus, eo dicente, silescit.
O proceres, gens sacra Deo, caligine caecâ
Qui jam discissâ rerum, excussisque tenebris
Errorum adspicitis verum; jamque aethera tantum
Intrepidi, obnixique adeo perflatis anhelo
Pectore: quique animos fatis, dubiaeque malignis
Casibus exempti fortunae, mentis ab arce
Tranquillae excelsâ fraudes ridetis inanes;
Vanaque despicitis subter baccantia vulgo

Castra voluptatis: qui gaudia caeca, metusque
Calcatis trepidos, et falsas abnuitis spes:
Divino en hodie (nec vos latet) annua ritu,
Expleto redit orbe dies; qua Rector Olympi,
Idem opifex rerum, divûmque Repertor, ab alta
Sede poli labente Deo, tonitruque corusco
Scintillante, olim penitus labefacta virorum
Bissenûm rutilis incendit pectora flammis;
Ignarasque situ mentes, animosque vetusto
Exuit, excoluitque manu; ac bonus arte magistra
Erudiens, magno simul inflammavit amore.
Nunc ergo (neque enim reor huc sine numine divûm
Agmina diversis tanta haec e partibus orbis
Convenisse hodie) nequicquam mollibus orsis
Vos equidem aggrediar, levibusve exordia dictis
Instituam nostri sermonis: at ordine vobis
Expediam, quis amor, quae tanti causa vocatus
Me tenuit; cur tanta pati; cur aspera cogam
Vos spatia ire viae, patriosque relinquere fines.
Praeterea monitus nostros, mandataque, vobis
Quae dedimus, vos hic audire, iterumque doceri
Fas monet; edicit ratio; sacra tempora suadent:
Quo dehinc fixa animis, penitusque reposta sub imis,
Non vis ulla instans, non caeca oblivia mentis
Sedibus evaleant quondam exturbare quietis. (quam
Ergo agite, o socii (neque enim hoc ex agmine quem-
Fas torpere animis, tantove in munere segnem,
In sanctas cessare preces, aut parcere votis)
Hunc mecum celebrate diem: instauremus honores
Coelicolis meritos: linguâque, animoque faventes,
Aethereo primum poscamus ab axe ruentem,
Igne sonante, Deum, et flagrantem numinis auram.
Sic fatus, palmas supplex mox tollit utrasque:
Et jam surgentis radiantem lampada solis
Suspiciens (eadem toto simul ore fremente
Agmine) dulcisonis modulis prior incipit orans.

Aura, pios invise animos, ades, alma creatrix;
Et nos, et tibi sacra, tuoque efficta labore
Corda subi, donisque tui pia numinis exple.
Quippe hominum tu sola graves solare labores,
Dona ferens divina; Patris simul ipsa supremi
Donum ingens, augustum, altum, regale, beatum.
Tu liquidis ardens amor ignibus: agmine tu fons *
Juge, fluentisono, manans flagrantibus undis:
Tu praepingue animis, quo rite nitescimus, unguen:
Tu septemgeminis decoras nos prodiga donis:
Divinae tu vis, tu vasta potentia dextrae:
Tu delapsa polo, penitusque infusa per ora
Muta virûm, insuetis quamprimum vocibus imples.
Ergo et sidereâ da luce effulgere sensus,
Effoetasque fove mentes simul igne corusco:
Tu requiem praebe fessis, aegrisque salutem
Corporibus, validumque attritis suffice robur:
Hoste procul pulso, placidae tu candida pacis
Adsis dona ferens: tu dux, exire malorum
Da nos incursus: da, praemonstrante magistra
Te sola, aequaeva magnum cum Prole Parentem
Noscere: te medium, simul amborumque ligamen
Da colere indomitum: tandemque infusa per omnes
Ignea lux sensus, coeli da prendere sedes.
His ubi divinus Franciscus conciit auram
Vocibus aethercam, rursumque intenta senatus
Agmina totius se composuere, silendi
(Haud mora) praeceptum auditur: tum laetus ab alto,
Ore iterum insonuit pater, atque ita voce sequutus.
Audieram, o proceres, o pubes inclyta, dudum
Audieram nostros ritus, praeceptaque sacra
Extra Romanos fines, extraque potentem
Iam tum adeo Hesperiam celeri effugisse volatu;
Externasque inter gentes, populosque feroces,
Iam modulis resonare piis; monitisque volentes
Ite Subasaeis magnas parere catervas;

Conventusque virûm ingentes coiisse sub alis
Nominis Ausonii, et jam nostra edicta vereri.
Hinc tanti causa accitus; hinc me ardor habebat
Vos simul, o proceres, coram spectare vocatos
Concilium in magnum; curas, de more, quibuscum
Partiri ingentes possem, durosque labores. (nobis
Principio (haud temere id) quanto magis ardua
Res versanda hodie, nos tanto impensius illam
Consiliis, animisque bonis onerare necesse est.
Sunt alii coetus hominum, pia castra per orbem
Metantes late; sunt et sacra agmina passim;
Quae domitor rerum bonus, assertorque piarum,
Romulides genitor fovet, obnubitque capaci
Obtentu sacrae clamydis, dextrâque tuetur.
Sunt itidem leges sanctae, ritusque verendi,
Quos alii posuere viri; tenerisque dederunt
Ductores sese fidos conventibus ultro,
Quaesitosque pii natos aluere magistri
Servitio, monitisque sacris, atque ore venusto
Lambentes placide, simul effinxere recentes.
Quae vero extemplo, brevibusque exaucta diebus,
Ut nostra haec, legio surrexerit, ulla profecto
Haud nobis spectanda venit: non coetibus ulla,
Ocyus hac expleta sacris, respublica constat:
Ductor adhuc nullus sacer, alta insignia tollens,
Tam subito explevit cuneis nova castra vocatis.
Quare, agite (haud animos res tanta exposcit inertes)
Nunc vos in curas acres, partemque laborum
Accipiam, sinite, o proceres: date corda volentes
Communi versanda, atque exercenda labore.
Privatâ ne vos adeo sub pace quietos
Esse juvet: vocat utilitas en publica: ne vos
Dissimulate animis, neve exhorrescite munus.
Adspicitis nostro, longe lateque per orbem,
Quae gens, quam magni lustrentur nomine coetus;
Ductorumque manus quam crebra, Subasia tollens

Signa, novis jam tum stipet densa agmina castris.
Vos autem, dederim quae jussa ab origine vobis,
Et memores estis, reor, et meminisse necesse est.
Namque unum esse ducem, summum plebs cuncta mini-
Quem dicat, docilisque animo veneretur, ametque, (strum
Jussimus. Huic fas omne olim, imperiique futurum
Nascentis regimen, totiusque ordine gentis
Tradidimus: rursum plenâ trieteride, functo
Rite gubernaclo, cedendum ediximus illi:
Perpetuoque alios, aliosque inde ordine, tantae
Molis obire vices, et mox succedere pulso.
Hac vero me summa tenus custodia coetus,
Et labor exhausit, noctesque diesque fatigans.
Jam tum adeo effoetae vires, fessique labore
(Quamquam animus viget ipse, suoque in robore perstat)
Deficiunt, crebrisque cadunt languoribus artus:
Hinc me posse graves ultra tollerare labores,
Credite ne, moneo; ne vos spes ducat inanis.
Quin potius numero ex omni, tantisque necesse est
Exsurgat vestrum quamprimum e coetibus unus;
Qui rerum subeat molem, et cervice subacta,
Fasce sub hoc sudet, et munia compleat ardens;
Atque gubernaclo custos datus haereat alto.
Interea sed enim vestrum se fingere multos
Augurer exsortesque onerum, immunesque laborum,
Ac prorsum indignos tanto se ducere honore:
Concilia haec, animosque probo, votisque benignus
Parco verecundis. At si modo publica passim
Res deserta gemat, nec jam communia curet
Quisquam, ubi fas, aequumque? ubi jura verenda? ubi leges?
Tandem ubi, quo premitur rerum levis impetus, et quo
Cöelestes animi divûmque, hominumque tenentur
Concordes, aeternus amor? Quippe ire necesse est
Cuncta simul pessum, civilibus incita bellis.
Quare, agite, o nostra haec animis advertite dicta
Pacatis: et jam quisquam contrarius obstet

Judiciis ne, quaeso, meis. Stat protinus unum
Deligere e numero, et totâ secernere gente
(Nec reor invito tantum mens Numine votum
Versat) Iollian: legio hunc simul audiat omnis:
Hunc pariter summum patrem veneraminor unum.
Contra autem sacri sceptrum ditione superba
Polluat imperii, immanique tyrannide foedet;
Aut tumidus, tantique exsultabundus honore
Muneris, elatum sese ferat ille, caveto:
Quippe ministerium tenui cum nomine magnum
Traditur huic hodie, non imperiosa potestas.
  Hinc agedum, auxilio legio ne tanta supremi
Cassa ducis, posthac gemat, atque ignara pericli,
Et tutae male certa viae, palantibus erret
Gressibus, et vitam sine more, sine ordine vulgo
Mollis agat; tu dux, praeceptor, et arbiter esto
Solus, Iollia, totius provide gentis.
Te premere imperio tumidos, attollere dextrâ
Dejectos, humilesque decet; linguâque potenti
Et mulcere simul corda, atque effingere mentes
Ignaras, placidosque animis committere mores.
Nec te adeo victum tantarum exterreat ingens
Rerum onus; aut acres curae, durique labores
Dejiciant: audendum animis: nam vivida duris
Usqueadeo virtus gaudet; seseque protervis
Casibus ultro offert, obnixa haud cedere retro.
Hinc victrix, hinc illa micans, semperque coronis
Vincta caput niveis, summi nusquam indiga honoris,
Nusquam laudis egens: olli sed gloria circum,
Et clara effulgent decora, immanesque triumphi.
Praeterea nostrae (nec vobis lucis egentem,
Obscuramque hodie, proceres, rem pandimus) urbis
Moenia jam pridem trinis innixa recumbunt
Principiis; equidem numero, reor, auspice jactis
Impare: quo tandem delapsus ab aethere credi
Hic labor, hic ritus, nostra haec vigilantia posset,

Jam vero adspicitis, quantis fundamina molis
Pulsibus hostis atrox quatiat; quibus ardua tundat
Moenia tormentis; qua dehinc struat arte ruinam.
Semifer una Orci monstrorum exercitus omnis,
Undique collectus, fremitu circumstrepit atro;
Exquiritque aditus nunc hos, nunc impetit illos;
Murorumque arces, atque alta cacumina molis,
Assurgensque, fremensque premit; nunc ima suburgens
Limina, portarumque ingentia robora quassat.
Ac veluti immanes, si quà stabula alta coacti
Invasere lupi, auditis balatibus, atros
Infringunt dentes, et saevo postibus ungues;
Mille obeunt morsus, produnt mille oris hiatus;
Crudescit rabies, faucesque irritat inanes:
Sic furibunda cohors, monstra infelicis Averni,
Sulphureis ardens facibus, manibusque cruentis,
Terribiles implexa angues, assultibus instans,
Moenibus his tales parat insidiosa ruinas.
Nos ergo excubiis, animisque, et fortibus ausis
Contra stare opus est, hostesque inhibere furentes,
Tutarique novum vallum, murosque recentes.
Praecipue vero multum explorare necesse est
Fundamenta urbis; vigilique expendere cura,
Qui constent, qua vi sedeant, quo robore subsint
Molibus impositis; utque illis haereat ingens
Machina; num praeceps sit formidanda ruina.
  Praeterea regina potens, fidissimaque urbis
Paupertas sedeat qua majestate, tuendum est;
Atque olli num clarus honor, num gloria summi
Juncta comes sceptri, soliis affulgeat altis.
Quippe deae (ò proceres, mihi credite) protinus uni
Si regere hos coetus, si rerum flectere habenas
Huic olim detur; nullos haec moenia circum
Non frustra assultus quondam struet irritus hostis
Tartareus; nullas non cassis nisibus urgens
Insidias tendet: cadet hac mox praeside cuncta

Hostilis rabies; cedent bella horrida; cedent
Bellorum fremitusque graves, trepidique pavores.
Nec temere id; tantis animi dux inclyta pollet
Viribus; isque ardor, virtus ea pectore regnat
Coelesti; magnae tanta est prudentia divae.
Quis vero illius, digna quis laude triumphos
Egregios memoret, meritoque attollat honore?
An non, ipsa sibi celsâ quos arce locavit,
Exuviae immanes, atque alta trophaea, penates
Ornant praeclaros? an non insignibus alti
Effulgent postes? raptaeque ex hoste coronae
Devicto innumerae pendent? fastigiaque armis
Summa domus celsae mille insignita renident?
Ipsa inter decorum radiantia lumina, ridens
Degeneres hominum curas, sese ardua coelo
Attollit, nitidosque astrorum intermicat ignes.
Imo, age, tolle acies geminas, atque adspice, pubes,
Nunc per nubivagos tractus diva excita quales
Fatiget currus; quam multos ardua secum
Sublimes vehat heroas. Primum ordine gentes
(Mitte hic Serranos, tacitosque, age, Musa, relinque
Fabricios; quos tu feralibus eximis urnis,
Subvectosque effers vivacibus ardua pennis)
Cerne simul junctas aeterno foedere pacis.
Praecipue vero ante omnes agnosce supremum
Heroa, insignem mentum, longaevaque multâ
Tempora canicie niveum; comitumque sequentem
Undenûm tum cerne aciem: hi, quos altus Olympi
Rex olim, mortalis adhuc, hominumque Magister,
Humida dum reparant subductis retia cymbis,
Evocat extemplo, atque undis abducit amatis,
Et prorsum ignaros divinas edocet artes;
Nec mora, diductos opera ad majora relegat.
Interea premere heroas mala coepit egestas:
Retia jamque animis subeunt, cymbaeque relictae;
Jam subeunt artes udae; fessosque laborum,

Jam piget incoeptae vitae, tentantque regressus.
Hic vero exsurgit senior, coramque Magistro
Sidereo intrepidus constans, sic voce profatur.
O bone Rex, quicquid fortunae, quicquid aviti
Juris erat nobis, ultro contempsimus olim.
Quin et desertae deserto in littore cymbae,
Retiaque, et remi, magnae, Rex optime, nostrae
Sortis opes, modo cuncta jacent: teque omnium egenum
Nos inopes sequimur, tua jussa facessimus. Ergo
Dic quondam quae digna manent nos praemia? nostros
Qua mercede levas, qua spe solare labores?
O felix vestra haec (Rex excipit) o bona rerum,
O frugi jactura! hominum gens aegra beatas
Quâ sedes parat, et summum mercatur Olympum.
Haec tantum effatus, plausu strepit ilicet omnis
Cum sene turba virûm, lucris gavisa repertis.
Hos ergo primos, alios dehinc mille sequentes
Evehit excelsos sublimibus aurea bigis
Paupertas, quos deinde bonis coelestibus explet.
Quare, agite, o proceres (monitus ne temnite nostros)
Observate animis divam, sacrisque volentes
Parete imperiis: ne prodite signa potentis
Reginae: vincti quin vos stipe, fortibus ausis
Circum state, ingens solium stipate frequentes;
Tendite iter durum pedibus, duce tendite magnâ.
Aspera, difficilisque via est, aditusque maligni,
Qua nos diva rapit; sed inexsuperabilis ardor
Virtutis, nil non penitus domat. Addimus acres,
Sollicitosque, olim consolatura labores
Praemia. Quid, quod nos, superato in vertice montis
Certa quies, tutaeque domus certissima sedes
Expectant fessos? Et adhuc nos tristis inertes
Torpor habet? nec tanta animis afflamus anhelis
Munera? promissis divae non fidimus almae?
Eja, agite, insani ne vana horrescite vulgi
Ludibria: incoeptae ne, quaeso, incommoda vitae

Dura, aut angustos casus, acresque labores
Formidate animis victis. Nil vilis egestas
Tendere ad astra vetat; coelique capessere sedes
Nil prohibetur inops. Sed non jam dives Olympum
Auro emit: insontes tantum, ignarasque profanae
Culpae animas laeta accipiunt penetralia divûm.
O me quis superûm tanto dignetur honore?
O quis, ubi alma suos parco regina clientes
Munere alit tenuis victus, jam sistat, ut altae
Arboris exceptum foveat me diva sub umbrâ?
O vos, quaeso, ducem meme sectaminor ultro;
Monstrantemque viam, et monitus, legesque ferentem
Accipite: o posthac nostris ne absistite signis;
Turpia ne quisquam vestrum divortia tentet:
Neu trepidis quae dicam animis horrescite; quodque
Nunc opus ipse agito mecum, intractabile nostris
Viribus, o pubes, ne rere: audacibus aeter
Ipse favet; coeptis divûm Pater annuit altis.
Ergo, age, tolle animos, aude mecum, arripe casus
Nunc primum oblatos tibi; desuetique pericli
Tentamenta obeas. Jam jam majoribus urget
Res angusta malis: dura ac male commoda rerum
Conditio, viden' ut premat, ac circumdet egenos
Undique nos? Jam tum (nam quae satis excita rebus
Cura hominum veniat par tantis? aut labor acquet
Quis plenum innumerâ mensae cum plebe paratum?)
Et rerum novitas, et Divûm certa voluntas
Nos omnem victus longe depellere cogunt
Ex animis curam; et divinâ sorte levandos
Quamprimum ostendunt. Eja ergo, insurgite mecum,
O socii: nunc nunc animis opus: alta vocat res.
Spernere opes, aurumque nocens mandavimus olim;
Mollia jussa quidem haec: amor hic violentior instat;
Altius ingredimur; jam nunc graviora jubemus.
Ibimus attrivere solum qua rarius olim
Majorum plantae; et qua mox labor excipit acer

Audaces, perque inmanes asperrima casus
Semita agit captos, perque alta pericula versat.
Nos ergo aut cultus, aut victus cura parandi
Sollicitet posthac (ea summa) cavebimus ulla.
At vos (ni pigeat monitus audire salubres)
Obscenamque famem, et saevos ridebitis aestus:
Necquicquam rigidas hyemes, fremitusque nivosi
Insanos boreae, subitosque horrebitis imbres.
Urget foedus amor, stimulatque, incendit, et urit
Omne adeo pecudum genus, alituumque, hominumque.
Inde furor sensus ciet, inde insania mentes
Praecipitat: non dura gelu, non aspera ventis
Terret hyems animos, non effera mortis imago,
Non acies ferri movet; altius ossibus haesit
Cum semel ignis edax. Coeli jacet axe sub udo,
Nocte puer mediâ, nivibus perfusus, et imbri;
Munera nec cereris, nec sedula cura parentum,
Nec serae revocant umbrae, trepidique timores.
At si hic tantus amor, quis tum divinitus altis
Mentibus insidens ardor, qualisque cupido
Securae prorsus vitae, et flammantis Olympi?
Nempe haec una mali contemptrix, una dolorum
Victrix, una expers aerumnae, et turbinis omnis.
Haec, si quâ aethereae conceptis ignibus aurae
Sustulerit sese, et coelesti lumine fulgens
Constiterit quâ nulla polos premit invida nubes,
Sed late astrorum circum micat aureus ordo;
Despicit insanos hominum pacata tumultus,
Spemque, metumque domat, casusque, et gaudia ridet;
Fortunamque premit, fatisque insultat iniquis;
Nescit quid poscat natura, quid utile vitae,
Quidve nocens misere veniat, quid corpora curet.
Nos ergo, o socii, non hunc optabimus ignem?
Non corda aethereae labefacta cupidinis aestu
Fervere, divinisque animos ignescere flammis
Usque adeo juvet, et magno tabescere amore?

Ite modo, eja, alias quamprimum e pectore curas
Mittite: solus amor, tantaeque cupidinis ardor
Insidens animis, vos coelo assuescere cogat.
Interea sed enim vestros non aura labores
Discerpat: memores dî sunt rectique, piique:
Est honor, est olim laus, sunt et praemia factis
Digna hominum: aut quid non oculis bonus Arbiter
Coelicolûm, rerumque Sator despectat ab alto? (aequis
Imo equidem dicam tandem (mihi credite; meme,
Credite, numen agit; versoque in pectore numen)
Non prius Hesperiis hodie stabulabit in undis
Defessis sol pronus equis; nox humida late
Haud ante obnubet terras, coelumque tenebris:
Quam Pater e summo haec bonus agmina lustret O-
Et tantae miserans extrema incommoda gentis, (lympo;
Muneribus laetis, improvisique paratus
Nos levet auxilio, et mensis soletur opimis.
At nos o nimium felices, si bona, quae jam
Paupertas nobis urget dux optima, detur
Nosse modo! Namque, etsi non foecunda coloni
Fortes arva domant rastris, et vomere nobis;
Nec lata ingentes distendunt horrea messes;
Nec constant Pariis sublimia tecta columnis;
Barbaricoque auro laquearia summa renident;
Si non et Tyrios sensit decocta colores
Nostra, sed horrificis vestis riget hispida setis:
At mores sancti nobis, at nescia fraudum
Pectora, divinoque afflatae numine mentes:
At nitidi spes certa poli; sedisque beatae,
Laetitiaeque fides, hic nos per dura fatigans,
Raptat inexhaustae: nos avia per loca sacrae
Acer agit virtutis amor: quoque alta petamus
Sidera, flammantique viam effectemus Olympo,
Sternit iter, monstratque aditus, atque ostia pandit.
At tu, paupertas, una hujus muneris auctor,
Tu requiem nobis dux una ostendis amatam.

Quippe una aetherei tu conjunctissima Regis,
Cunarum custos primis vagitibus adstas:
Prima foves ortum: teneris, prima, ubera labris
Insertas: Pelusiacas tu fida per oras
Extorrem sequeris: reducem tu reddis avitis
Sedibus: esurientem animam tu nectaris haustu
Divite, laeta reples, trino dum confodit anguem
Tartareum oraclo: summo tu denique malo,
Pulvereo affixum libentia brachia tabo,
Suspicis, atque avidis nudatum amplecteris ulnis.
  Salve, magna parens, coeli quae sola colonis
Atria terrigenis gemmata recludis, et altà
Sede locas, opibusque auges, regnisque superbis:
Salve, nosque tuos ne dedignare clientes.
En laeti (nos laeta fove) tua castra subimus;
Abnuimusque bonis posthac servire caducis.
Tu vero, o mater, nos tandem interserere divûm
Conciliis; daque aethereis accumbere mensis.
  Haec postquam tantis edixit, voce repressa
Conticuit, fandique modum dedit inclytus heros.
Tum caveam linquit: procerum simul omnis euntem
Prosequitur numerus: longâ dehinc caetera pubes
It pompâ, et Divae sedem de more revisunt.
  Ventum ubi non magnae sacratum limen ad aedis,
Primorum coetus mediam cinxere corona
Supplice mox aram. Tum vero, ex agmine toto,
Ad cantus hinc inde chori simul ordine lecti
Assistunt: Superis meriti instaurantur honores:
Et voce alternâ templi sacra tecta resultant.
  Interea divûm Pater, ac Rex altus Olympi
Viderat innumeris fervere Subasida terram
Agminibus; pariterque novae tot millia gentis
Tegminibus collecta aegre stabulare sub arctis.
Tum vero arcano secum ille ita corde loquutus.
  Ecquid magnus amor coelestia pectora liquit?
Nostra ne jam primum miseris addicta tuendis

Cura, aevo defessa jacet? aut haec nova tantum
Gens forte humanis nequicquam obnoxia fatis?
En dux hic, tandem longo post tempore, solus
Provocat heroas bissenos; primus et aequat
Bellando, duroque inopis discrimine vitae,
Jam curam omnino cultus, victusque perosus.
Ergo arctis quid nos rebus cunctamur adesse
Auxilio? casus quid dissimulamus egenûm?
Dixit, et acciri toto jubet aetere divos
Arcem ad sideream: resonat clamore vocantis
Praeconis, mox astrigeri plaga lucida coeli.
Parendi mora nulla: audit quicumque per ortus
Aurorae signis rutilat; simul excitus audit
Occiduas quisquis sese ipse receptat ad aedes.
Regia continuo patet alta; adytisque reclusis,
Accipiunt notos aurata sedilia cives.
At Pater omnipotens, solio spectabilis aureo
(Unde orbem immensum, coelumque, et sidera nutu
Torquet inhexausto, et mortales sustinet aegros)
In medio residens, consessus ordine circum
Ter trino in morem structos, lateque patentes
Ter lustrat vultu; et magno cum numine sese
Coetibus immiscens, vigor idem ipse igneus altos
Ingreditur sensus, et mentes explet hiantes.
Tum sic ore infit laeto: simul aetheris alti
Atria, tecta, fores, adytus, sedesque beatae
Dicenti arrident, subterque meantia ludunt
Astra: horret tantum Stygis implacabile numen:
Intremit, et lachrymas auget Cocytus amaras.
Coelicolae, nostri decora immortalia regum,
Quos hominum (auricomis sic dum transcripsimus o-
Semideos primos lucis, camposque beatos olim
Jussimus incolere, edictum accepistis ab ore
Actutum nostro) cura haud ingrata reposcit;
Luce, sedet medius; subterque meantia circum
Sidera prospectu fovet; ac discordia magni
Foedere perpetuo componit semina mundi)
Coelicolas nova pompa ciet: nova gaudia tentant
Aligeros coetus. Et jam puer arduus ibat,
Totus collucens, laceroque in veste sub ostro
Auratâ increpitans, radiisque micantibus ardens;
Aurea cui roseam stellis inplexa corona
Nectit caesariem, et sacra tempora taenia cingit;
Purpuream in nodum clamydem collegerat auro.
Hic crucis auricomum, et flammantem sanguine malum,
Aetheraque immensum radiis simul illustrantem,
Attollens, pompae, totiusque ordine gentis
Ductor ovans, ultro subit, ac se praevius infert.
Tum vero Alituum pariter gens tota, choreis
Extemplo in morem structis, signa alta ferentem

Subsequitur, Regemque canit, Regisque triumphos
Aeternos; sed praecipue praeconia sacrae
Vocibus attollit crucis: aurea tecta resultant,
Et late ingentis reboat plaga fervida coeli.
Ut vero ante Patris conspectum, atque ora canentes
Evasere acies, thiasos circum agmine fuso,
Plauserunt de more hilares: tum rite sedentes,
Ter trinis cinxere choris solia aurea, Regique
Ostendere crucis robur spectabile sacrae.
  At Genitrix Nato coram, pulcherrima Virgo,
Adstat: eam pepli mirus velabat amictus;
Fulgore irradians orbis, cava tempora circum,
Aureus, et vario flammantes ordine gemmae
Suggestum aeterni diadematis attollebant,
Regni insigne sacrum, et capitis venerabile tegmen;
Obtulerant Divae quae cuncta Subasides olim:
Et mentem aversam, atque irati pectoris aestus
Supremi tanto placarant munere Patris.
Virgineâ tum sic Nato Dea voce loquuta est.
  Nate, dies ostentum ingens, quod mente recondis,
Haec rite expectat: namque hac magis apta novandis
Vulneribus quae, Nate, tuis? Age, tu bonus altas
Cerne hodie terras. Sanctae viden' agmina gentis,
Quam laetis tua facta canant, tua praelia dicant
Vocibus? utque tui late micet alta trophaei
Gloria, et astrigero tollat sese inclyta coelo?
Tuque adeo victor, debellatorque vocaris
Eumenidum; meritique tibi instaurentur honores:
Quin etiam (et tamen his nil majus, Nate, creatum
Per te usquam est) coetus simul, et tota agmina nostrae
Gentis, ad haec hodie solemnius undique tecta
Conveniunt; laetoque ferunt victricia cantu
Signa. Vides circum intentis ut vultibus omnes
Mandata expectent. Quid tantis deficit orsis?
Nempe Subasaeus monitis non aspera nostris
Heros corda gerens, jam tum capita ardua saxi

Hetrusci moerens tenet, antraque vocibus implet;
Et gemitu nemora alta ciet, veniamque precatur.
Tu modo flecte oculos (pepli velamina pandit,
Fata viri monstrans) simul haec, Nate, adspice (vates
Num frustra haec rubro cecinit monumenta sub antro?)
Da tandem rata sint: da vivo in corpore gentes
Monstra piae haec spectent: jam denique perfode qui-
Nate; Subasaeum telis heroa, notasque (nis,
Membris, signa tuae stellantia mortis, inure.
Mater ab his tacuit: placido mox ore; tacenti
Filius haec. Non me (nec tu id rere) effugit, olim,
O Genitrix, nostrum quam multis nocte petisti
Heroem monitis: vidi quibus ipsa fatigas
Sopitum imperiis: vidi illum denique, montis
Hetrusci sub rupe cava, suspiria tristi
Eructantem animâ, et gemitu nemora alta cientem.
Nec mihi fata viri, Rubrique oracula Saxi
Excessere animo: mea nec sententia quicquam
Versa retro, o Mater. Ne tempora longa morarum
Finge: hac fata tenus, fatorumque ultimus ordo,
Ostentumque ingens, ostentiferique diei
Occuluere ortum: magnique haec rite Parentis
Nutus, ad extremos spectacula distulit annos.
Nunc quoniam monet alma dies, jamque ipsa vocat res,
(Haud mora longa) feret mea signa Subasius Heros.
Sic Natus: facili dehinc numine dicta sequutus,
Annuit: attremuere ingentis moenia coeli,
Atque unâ excussis micuerunt agmina pennis
Alituum, circumque assultavere choreis.
Qualis, ubi in magno pubes numerosa theatro,
Quondam adeo opperiens spectacula laeta, resedit;
Instructo tandem venientibus ordine mimis,
Fit subito clamor; perque alta sedilia voces,
Et plausus volitant; consessusque instrepit omnis:
Talibus hic, votis plena jam mente potiti,
Mox animis, coetus simul infremuere volucres.

At Rex illustrem radiis circumtulit aureis
Ter faciem: novies solio circumflua late
Gens, Regis lustrata pio ter lumine, gaudet.
Inde unus, famulûm numero delectus ab omni,
Mox adstat solio: divinique impiger oris
Expectat nutum, et facilis mandata capessit.
Rex infit: Ne prima quidem juvat ire per orsa:
Haec tantum cape dicta, animoque adverte tenaci.
Stant praerupta, jugis sub nubiferi Appennini,
Saxa, Arnus primum quâ sese attollit in auras,
Irriguoque secat florentes agmine campos.
Gens Tyrrhena loco vetus, assuetudine prisca,
Et turbae agrestes nomen fecere Lavernae.
Hic modo (nec tu adeo nescis) antra horrida noster
Franciscus, flavi lucis, scopulisque Subasi
Posthabitis, colit; et gemitu nemora ardua complet,
Primaevae incusans commissa piacula vitae.
Quid memorem, victum dent ut radicibus herbae
Angustum evulsis? potum ut cava saxa propinent?
Hunc equidem mihi jam similem haec mea signa fu-
Delegi, ostendi; atque ipsi accepistis ab ore (turum
Saepe meo jam vos, exsultastisque reperto.
Ergo, age, pelle moras; celeres molire per auras,
Fide, viam: et pronus terras invise jacentes.
At simul umbrosae attigeris juga celsa Lavernae,
Exutus pennis humeros, sub fornice rupis
Contemplare virum, meriti nullius egentem.
Tum faciem tibi sume novam; cava nubila circum
Induere, aëreosque artus, hominisque loquelam
Adde ori, geminoque gradus pede finge decoros:
Quo capere ipse acie, et certo comprendere visu
Te queat: extemploque his ultro affare sedentem.
Non frustra accessus olli mea, nocte sub alta,
Etruscam ad sedem, Genitrix pulcherrima suasit;
Non vana in somnis fallax oracla loquuta est.
Cuncta rata expectet: sciat irrevocabile fatum,

Virgineo quodcumque potens Dea praecinit ore.
Tum magnos bonus adde animos: hortare, paret se,
Venturis (quoscumque feret sors) casibus ultro
Intrepidum caput objectans: is nuntius ito.
Rex ita: nec cornu velocius exit arundo,
Parthe, tuà propulsa manu; non tela Cydones
Acrius excutiunt nervo, quam regius Ales
Viderit Hetrusci nemorosa cacumina saxi.
Quo postquam ventum, et jussi cava corporis umbra
Constitit, improvisa viro sese ilicet offert.
Obstupuit subito adspectu pater; oraque fixus,
Obtutuque haerens, stetit: ultro cui bonus Ales.
Exue corde metus, vultumque attolle: supremi
Interpres Regis venio, non tristia portans
Visa, neque horrificis turbata assultibus urgens
Pectora: laetitiam veniens gero: laeta subinde
Omnia discedens nimirum ego linquere suevi.
At tu, quicquid erit, quanta aut res (nempe tibi ingens,
Divinum, insuetum monstrum, ac memorabile partum est)
Ne fuge, neve animo trepidans, horresce: sed ultro
Contra tende ferox; congressus fortibus ausis
Insuetos, pugnamque subi certaminis acrem.
Haud nova jussa cano: scis ut te, nocte supra,
Magna olim oraclis moneat Regina deorum:
Tu fata expecta rata, quae canit aurea Virgo.
Res dura est, durosque eadem factura labores,
Quae te urget: sed certus honor mox deinde subibit,
Mulcebitque graves casus; cui gloria sese
Blanda dabit comitem, quae te demum inferat astris
Sublimem, et nitidi summà locet aetheris arce.
Haec quondam tecum sors rerum, is vertitur ordo.
Dixerat, exutusque umbrà, se miscuit aurae.
Hic heros (nec vana quidem monita alta putarat
Alitis) excutiens sese, quid pectore in imo
Evaleant animi vires, quo robore constent,
Quamprimum explorat: secumque: Haud mollibus ausis

Nunc opus est (inquit); quae me praemit, enthea vox
Vidi equidem ardentes oculos, vultusque decorem; (est.
Meque adeo afflavit divini spiritus oris.
Et cunctabor ego? et tam certa oracla refellam?
Imo age; seu dextrum, laevum sive intonet aether;
Seu res laeta cadat, duris seu casibus instet;
Aequus uterque animo eventus: jam compare voto
Utrumque expecto, pariterque utrumque juvabit.
Haec secum: atque unà has effundit ad aethera voces.
O Pater, o, divûm; rerumque, hominumque Repertor;
Quae modo tanta animis, unde haec coelestibus ardens
Cura hodie? quis amor novus hic? quae nuntius Ales
Monstra canit ventura mihi? quae praemia, quas spes
Rebus in augustis, aut quae solamina tandem
Affore promittit? Sed me quid tanta necesse est
Nosse modo? Tu dexter ades, Pater optime, tantum:
Et sors nulla mihi non cedet victa ferendo.
Talibus oranti saxum respondet opacum.
Interea Pater omnipotens, e sede suprema,
Haerentem his Prolem jam compellaverat orsis.
Te vocat alma dies: longas molire quid ultra,
Nate, moras? Praemissa tui bonus audiit heros
Dicta oratoris: quid dehinc coelestia poscant
Mandata expectat, variosque in corde volutat
Secum una rerum eventus. I, confice, Nate,
Coepta; virumque tuis, age, tandem insignibus orna.
Audierat magni Patris haec hortamina Natus;
Et simul aethereas devexus liquerat arces.
Jamque adeo Hetrusci super horrida culmina saxi,
Arduus, auricomà circumfulgente coronà,
Heroem speculans, coelesti nube sedebat.
Tum vero eximiae telum crucis extruit altum;
Cui mox affixus passos hinc inde lacertos,
Supplicio ut quondam diro sub gente profana
Mulctatum accipimus, distenta mole pependit:
Continuoque alas bis ternas ordine fingit

Diversorum operum; atque humeris committit habendas
Ipse sibi; arrectas capiti dat tegmina binas;
Demittit totidem, circumque his induit artus
Sidereos; motum extremis per inane duabus
Exercens volucrem, frondosa cacumina luci
Auricomis radit pennis (mirabile visu!)
Donec Francisci supra caput adstitit altus:
Ad quem improviso adversus, sic deinde loquutus.
O lux, o gentis fortissime ductor egenae,
Quae te nunc imo sub pectore cura remordet?
Quidve animo versas? Nostri ne arcana ministri
(Meme agnosce deûm Regem, dominumque potentem
Aetheris, et latas torquentem numine terras)
Sollicitant dicta? An ne iterum jam invisere gentes,
Et canere ignaris solito coelestia turbis
Eloquio mandata paras? rursumque labores
(Te neque enim ignavis fas est mollescere curis)
Ire per assuetos juvat? At tu nunc, age, quicquid
Corde agitas, mitte actutum, ac simul exue magno
Jam tum cuncta animo: solumque (impensius olim
Quando ipse optasti saepe id, precibusque petisti)
Morte obita quantum ipse tuli (si te is rapit ardor,
Si potes, atque ea vis animo est) arcesse dolorem;
Obnixusque avido mecum una plenius hauri
Pectore; dehinc totos undantem infunde per artus.
Verum, age, disce viam, qua res modo certa sequatur:
Nam labor hic mecum: tu solum haec jussa capesse.
Adspice nunc (ne vana quidem te ludit imago)
Et quinis meme divinos ictibus artus
Perfossum; lethique immanis signa ferentem,
Aurea nunc, foedata olim, perfusaque tabo
Pulvereo, cognosce: dabunt haec namque dolorem;
Quem tu adeo exoptas, quem tota mente requiris.
Imo age, finge tuis eadem haec modo prorsus inuri
Artubus; et certum tanti conaminis, ardens,
Jam finge eventum; dubia nec mente refelle,

Aut anceps animo dicta aversare profano:
Nec mora : inusta tuis membris eadem ipsa nitescent.
Rex tantum haec. Moeret, stupet, horret, conticet
Obtutuque haeret, cervixque rigescit, et omnis (heros,
Excidit ore decor: jam vivum tristis imago
Nil porsum ostendit. Quales assueta figuras,
Aut ex aere cavo, pallenti aut marmore, fingit
Artificis manus, et templis affigit honoris:
Tali vir specie, sic sese cotpore praefert.
Tum simul introrsus circum praecordia magnus
Cogitur, atque ardens dolor ossibus aestuat imis.
Principio affixi penitus tota intrat imago
Regis eum; mentique haerent divina profundae
Alloquia; aethereus dehinc jussis nuntius instat;
Tum subit, atque animo telum crucis ingruit horrens.
Primae autem, ante alia, interius sub pectore quinae
Insedere notae, et saevum fecere dolorem.
Ingemit ergo heros; clausumque cor aestuat intus,
Euripi more; et venis erumpit apertis
Restagnans dolor. Ac primum latus haurit hiatu,
Vulnus agens; plantasque fodit; palmasque terebrat;
Transfixaeque manus, simul et vestigia acutis
Vectibus apparent, transutaque vulnera ferro:
Mox quinae effulgent plagae, radiisque coruscant.
Quales mane rosae primo sub sole rubescunt,
Purpureive inter ceu narcissos hyacinthi;
Sive comâ rutilant quali modo Plejades ortae.

FRANCISCI MAURI

RISPELLATIS MINORITAE

FRANCISCIADOS

LIBER XIII.

ARGUMENTUM

Franciscus, lenito aliquantulum dolore sub pectore, fulgentes, et sanguine rorantes plagas contemplatur, admiraturque immensam Dei in se benignitatem: orat etiam Coelites, et praecipue D. Michaelem, cui aram consecrat ad instar illius quae est in aede Gargani: quas preces Deus libentissime accipit, et auream nubem demittit, quae Lavernae nemus, montemque obtegat, et longe lateque effulgens, viciniam compleat stupore =1= 74. *Fama continuo isthaec miranda in populos diffundit; et singula quaeque defert ad Subasum. Multi interea curiosius Orandeum montem invisentes, Franciscum tantummodo taciti observant; eum frequentes circumstant; et ab ore divina praecepta loquentis pendent* = 117. *Is autem, soluto coelestium Alituum Principi magno jejunio, Subasum revisere decernit: sed prius, coetu suorum, qui jam ibidem coaluerant, de more, advocato, eos adloquitur extremum: hortatur, ut constantes sint in incoepto; quid illis curae esse debeat, inculcat; valedicit*

hospitae telluri ; monetque suos, ut semper bene factorum Orandi sint memores; optat ut aliquis suorum quandoque celebret ejus promerita in se, inque coetum universum : caveant tamen , ne effusa ejus largitate abutantur ; neve paupertatem ipsis usque adamandam , cogant a castris suis exsulare = 309. *Postea Leone comitatus , ac suis moerentibus bene ominatus, suscipit iter ad montem Subasum, atque ad fanum D. Stephani, hydropicum a medicis desperatum integrae sanitati subito restituit* = 375. *Iter facienti Francisco adducitur a turba opem poscente puella a daemonibus obsessa, neque corpore solum , verum animo quoque divexata; a qua , precibus ad Deum fusis , malignos spiritus jubet excedere* = 504. *Biduo itineris transacto, Perusiam perveniunt Franciscus asello vectus, Leo pedes, lateri ejus inhaerens ; et inde Subasum , ac Virginis delubrum conspiciunt. Deinde se denuo itineri comittens , S. Patriarcha memorat cum Leone , quomodo hominum mentibus divina insideat vis; et quamquam variis illi perturbationibus commoveantur, tamen omnes boni cura alliciat. Sed diverse fluxis bonis plerique intenti , in coelo , unde orti sumus , quique nos manet, certam, aeternamque esse nobis domum obliviscamur : illuc aciem , cogitationesque flectendas* = 603. *Petenti Leoni , num heroes in Graecis et Romanis historiis celebrati , veris fuerint virtutibus praediti , respondet : eos egregie factis hominum plausus sibi quaesivisse , mentem vero ad coelum non extulisse: hominibus colendas esse virtutes quibus alae insunt , non quae geminis plantis defigunt solo vestigia* = 675. *Adveniunt tandem heroes ad suos, qui eos laetissime excipiunt. Jamque fere duos annos Franciscus Christi Crucifixi signa ferebat in corpore, cum Unigena compellat*

Genitorem, tempus adesse, quo finis imponatur Francisci doloribus: eum esse tempestivum coelo. Sinit Pater Gnatum, aethereis Alitibus comitatum, inferre Francisci animam sublimem per auras. Itaque Dei Proles Aliti coelesti dat mandata ad Jacobam, de Septem Soliis nuncupatam: Ales continuo jubet matronam parare quae ad imminens Francisci funus requiruntur = 773. *Et jam Francisci nomen in terris effulgebat, religio in ora Subasi florebat; cum ille supremam horam adventare praesentiens, Deum humillime obsecrat, suisque nuntiat triumphum a divina bonitate sibi paratum, eique indigum coetum commendat* = 837. *Deinde suos ad se vocatos adloquitur postremum: exsultat de morte sibi instante; solatur moerentes; eisque ultimos monitus relinquit: de virtute nempe, et paupertate adamandis* = 910. *His dictis, animam placidissime efflat: natorum turba in lacrymas solvitur: advenit matrona Jacobe ad inferias, suamque in Franciscum pietatem ostendit* = 968. *Corpus defletum, pheretro impositum, deferunt proceres ad templum; Bernardus exequias maxima hominum frequentia celebrat: sed luctantem animam corpore solutam, Christus in coelum sustulerat, delectaque in sede locaverat.*

Liquerat interea divûm Rex alta Lavernae
Culmina; jamque adeo tractus, qua lucidus aether
Purpureos ignes, et scintillantia noctis
Lumina contorquet, superans, flammantis Olympi
Aurea sidereis repetebat tecta quadrigis;
Magnus ubi aeterno Genitor complexus amore
Illum, animo dulci, et solio circumfovet aequo:
Pacato cum jam saevo moerore sub alto
Pectore, ceu somno leni, modicoque solutus,
Ora tenet defixa pater Franciscus; et auro
Stellantes rutilo, et rorantes sanguine plagas
Spectat inexpletum, longumque immobilis haeret.
Postquam autem rediere animi, atque in pristina sau-
Robora tabentes artus, sensusque reduxit; (guis
Ille, ut erat saxis affusus poplite curvo,
Sic orans, cum voce manus ad sidera tendit.
Omnipotens divûm Pater, ac Sator optime rerum,
Servatorque hominum; coelum qui numine torques;
Sternis et undisoni maris aequora; comprimis iras
Ventorum effraenas, atque impia Tartara quassas:
Me ne hodie tantis ultro fulgoribus ornas?
Tanton' me, Genitor, duxisti munere dignum?
His ne meos radiare jubes insignibus artus?
At quibus haec meritis, quibus haec me gloria factis
Prosequitur? quae bella mihi devicta? quis ardor,
Quae vis tanta animi, decus hoc, sertisque coruscis
Insignem, augustum, atque altum peperere triumphum?
Queis, age, tandem ausis, quove haec praeclara labore
Signa mihi, aetherei decora immortalia Regis?
Ergo honor, heroum (seu quos nova sustinet aetas,
Seu memorare libet quos saecula prisca tulerunt)
Hactenus haud ulli addictus, mihi creditur uni?
Uni fas tantum? his unus, sub nomine claro,
Prodigiis deposcor ego? et quo jam vocor ultra?
Quae decora his majora mihi, quae gloria detur

Amplior ? At tu, magne Pater, bonus adspice; felix
Adsis; tuque haec signa fove, et data munera serva;
Ignarumque viae rege me, et miserescere labantis.
Sic orat: primum, ante omnes, his rite supremum
Compellat dictis Patrem; dehinc aetheris alti
Reginam implorat; totiusque agmina gentis
Mox ciet aligerae; et bissenos ordine supplex
Heroas vocat: at multo sermone fatigat
Ductorem hastiferum, divinumque aegide pectus
Insignem; stygii qui terga horrenda draconis
Et premit infesto mucrone, et calcibus angit.
Hunc vero excelso Gargani e vertice Dauni
Advocat, et luco, saxoque invitat Hetrusco:
Huic et praeruptae parvo sub fornice rupis,
Extructam, in morem, brevibus suggestibus aram
Semper odore novo, semperque recentibus auget
Floribus: hic parcens epulis, et sera recusans
Pocula, belligerum numen jejunus adorat.
Et jam tum e nitidi Genitor bonus aetheris arce
Supremâ audierat voces, et casta precantis
Vota viri audierat: celeres nec passus in auras
Irrita diffundi, confestim clarus Olympum
Concussit magnum, et tonitru de parte serena
Increpuit laevo: terque aureus ipse corusca
Luce micans, nubem aethereo demisit ab axe
Fulgentem, auricomam, et radiorum ardente corona
Praecinctam; quae mox circum nemus ambiit, omnem-
Obtexit montem. Qualem niger Auster arenis (que
Pastus Atlanthaeis, madidoque repente volatu
Altius assurgens (ponto seu praepete cursu
Dum late incumbit; seu dum convalle coactus
Perfurit angusti, et flatu suspirat anhelo)
Fert nimbum, et coelum simul eripit omne, diemque:
Talis erat nubis species; sic candidus orbis
Amplexu auratae circum caliginis omnem
Cingebat lucum; et longe lateque coruscis

Lustrabat radiis colles, lustrabat et imas
Convalles: stupet interea vicinia tota
Fulgorem insuetum, et lucem mirantur agrestes.
  Haec mira, hos rerum motus (dum rupe geruntur
Sub Tusca) vigil arrectis, quibus omnia captat,
Auribus accepit Fama: et vix ordine cuncta
Norat adhuc, cum mille locos, mille oppida factis,
Et populos late rumore implerat ovanti.
Tum vero alta levem per nubila densa volatum
Corripiens, iter ad pulchrum mox laeta Subasum
Molitur; laxis nec jam modus ullus habenis,
Donec olivifero tandem pernicibus alis
Vertice consedit fixis. Tunc aere canoro
Intendens vocem, Francisci insignia magno
Portentosa canit sonitu; edicitque, Lavernae
Rupibus insedisse sacros, nova monstra, supremo
Aethere delapsos ignes; canit, omne repente
Ut lux visa nemus, totumque ambire cacumen
Montis, et umbrosos ut flamma innoxia lucos
Depasci visa est, et circumlambere sylvam.
Fama canit: longe in populis, lateque per agros,
Ardua vox resonat, clamoribus omnia complet.
  Jam vero interea nemorosa ad culmina montis
Turba Orandaei sociûm convenerat ingens:
Ingenium hi, tractumque loci cognoscere, sedes
Hi praedonum avidi antiquas, atque antra profanae
Olim sacra deae, ritu modo culta verendo;
Hos nemorum cupidos, solosque habitare recessus
Assuetos, deserta vocant, saxa orrida pascunt,
Umbrosaeque animos mulcent scenae: allicit unus
Sed pater unâ omnes; certatimque unius omnes
Inspiciunt facta; ipsum unum mirantur, amantque.
Quin saepe occultum (seu dum coelestia secum
Signa aperit, seu dum, nemora inter densa, silenti
Nocte gemit, vallemque imam, praeruptaque saxa
Immugire docens, et respondere gementi)

Eminus observant taciti, adspectantque latentes:
Saepe illum, sub rupe cava, sive abiete nigra,
Agmine circumstant denso, stipantque frequentes;
Poscentesque graves monitus, divinaque verba,
Pendent suavisono intenti narrantis ab ore.
Sic Pandionia ad nidos ubi mane loquaces,
Pabula parva ferens, remeat festina volucris;
Implumes tollunt capita, et cervicibus altis
Mox crepitant foetus, et colla voracia tendunt,
Certatim rostro simul insidiantia matris.

Et jam Libra astris soles aequarat eundo;
Garganique jugo, sacris, et honoribus amplis
Hastifer aethereus, de more, citatus ad aras,
Purpureis vectus pennis, remearat Olympi
Stellatam ad sedem: cum rite Subasius heros
Solverat Hetrusco jejunia longa sub antro.
Mox ergo e luco (quippe id sibi numina certis
Oraclis canere audierat, durosque labores
Expleri jam jam norat) decedere amato
Destinat, et flavi tandem juga celsa Subasi,
Et sacra intactae delubra revisere Matris.
Hinc omnem ad sese coetum sub fornice rupis
Scruposae accersit comitum, de more, suorum;
Quos inter, laeto vultuque, animoque, sedili
Composuit duro, et medium se rite locavit.
Tum vero sic infit (hiant, atque auribus omnes
Arrectis monita alta bibunt): O candida pubes,
O socii, quos nostrarum sors aspera rerum
Nequicquam terret; nequicquam jussa fatigant,
Quae dedimus; non arma gravant, quae ferre ju-
Nil vitae pertaesum acris, nil ardua coepti (bemus;
Ingentis moles quatit, aut desueta refugit:
Vidi etenim dudum, cum prima pericula mecum
Tentastis, vos audaces, cupidosque laborum;
Ardentesque animos, et vivida corda notavi:
Ecquid vos igitur ventura redarguet aetas?

Ecquid degeneres forte, aut spectabit inertes
Sera dies? Ah! foedâ animos ne pollue sanctos,
O pubes, ignominiâ: ne tu modo coeptis
Absimilem egregiis finem, et tam fortibus ausis
Turpe aliquid junge, aut super indue dedecus ullum.
Adspice nunc (libet hoc iterumque iterumque monere)
Adspice quam rapidis eat irreparabile tempus
Cursibus: instet equis quam mors infesta citatis,
Dissimulare cave: monitus ne temne salubres.
Imo agite (extremum meme exaudite loquentem,
O socii) melior quoniam pars acta dierum,
Effugitque suo cum robore firmior aetas;
Quod superest vitae, quae Parcae ex ordine pensis
Immotis servant, bene gestis tempora rebus
Exornate: animis torporem pellite inertem.
Jamque adeo sit cura, breves virtutibus annos,
Angustosque dies claris extendere factis;
Sit curae, unde animus nobis, cognoscere; sit quo
Exoptet reditum; quantos modo devius erret
Per casus; quam degeneres, quam vertat inanes
Hic curas mortale genus, cum tollere in altum
Dissimulet sese, et coelum aversetur, et astra.
Proh dolor! humanas quae tanta insania mentes
Vertit? quo pollens adeo, et tam scita nocendi
Circe agit? unde rapit? quarum in mala terga ferarum
Induit? aethereos quo tandem murmure sensus
Urit, et exturbat divini luminis haustus?
Et juvat ergo oras blandas, littusque canorum
Sirenum colere? immanis juvat atria Circes,
Monstrificumque habitare solum? Patria, altus Olympus,
Non tellus homini est. Pudeat spelaea ferarum
Sidereo praeferre polo: pudeatque caducis
Deservire bonis; et noxia quaerere semper;
Semper et irati pelagi versare procellas.
Vos autem, o socii, rerum caligine qui nunc
Discussâ, adspicitis verum; et jam puppibus altis
Intrastis portum, et littora fida tenetis;

Errantesque salo, tumidisque aquilonibus actos
Despicitis procul e celsa, et miserescitis arce: (quis.
Accipite haec mea dicta hodie, et date mentibus ae-
Si vacet, et primâ memorare ab origine pergam
Quanta, hominum gens una, polo deducat ab alto
Munera; quis fandi modus? aut quo fine quiescam?
Principio (neque enim vobis incognita rerum,
Nascentisque recens genitalia semina mundi:
Hinc intacta meis dictis primaeva relinquo)
Eumenidum invidiâ, et squamosi fraudibus anguis,
Aethereis procul exilio depulsus ab oris,
Infelix lugebat homo: nec jam ulla regressus
Spes erat, aut iterum visendi limina coeli
Amissi; ut certa Dei, atque aequaeva Parenti
Progenies, delapsa polo, moribunda subisset
Membra hominis, fatoque ultro occubuisset acerbo.
Tum coeli patuere aditus, et ad aethera primum
Facta via est: tum gens hominum coeleste revisit
Hospitium. Sed enim interea, labentibus annis,
Nequicquam secura quies, tutique recessus
Hic nobis: furit assidue succincta colubris
Eumenis; iratumque, et inexsaturabile vulgus
Gentis tartareae ciet, invidiaeque cruentis
Exacuit stimulis animos, odiisque nefandis.
Hinc hominum Sator ille pius, divûmque supremus
Rex, mortalis adhuc, nec dum per nubila curru
Sidereo molitus iter, victorque potitus
Sede poli; dum bissenos heroas ab omni
Seligeret numero, lectissima corda virorum;
Arma invicta dedit, muniminaque alta reliquit,
Eumenidum vires quibus, incursusque furentum
Frangere, suppressos astus, fraudesque latentes
Detegere, atque acres iras contemnere possent.
Tum, quis bellandi modus, armorumque quis usus,
Edocuit; quamque iratum foret aequor arandum,
Quam vastae assiduo tentandae remige syrtes,

Praemonuit: cantusque horrenda ad praelia misit;
Et tenues magnis jussit dare fluctibus alnos.
His ultro ecce viris (adeo hoc vos scire necesse est)
Me comitem addixi; simul horum insignia dextrâ
Attollens altâ, vos dura ad castra vocavi.
Nec molles thyasos, genialique ordine vobis
Extruxi mensas, vario aut convivia luxu;
Nec posui ingentesque domos, Pariosque superbas
Marmore: quin astu abductos a moenibus altis,
Mox intentatos, solosque habitare recessus
Edocui, exiguas sedes, et frondea tecta
Ponere, et horrificis suadens stabulare sub antris.
Quae cuncta, o socii; simul haec lectissima tellus,
Ingenioque soli, et tractabilis ubere coeli
Sufficit, apprimeque animis dat munera nostris.
Namque, antra ut pateant, ut densa cacumina nigrum
Attollat nemus, exesique immane minentur
In coelum scopuli, et praecelso vertice nubes
Exsuperent, notum vobis jam, cernere suetis.
Nunc ergo, ne tanta animis, rogo, munera caecis
Despicite: oblatas vobis ne spernite sedes:
Sit cordi hic jam parta quies. Eja, ite frequentes,
Ite per umbrosum lucum, simul ite per altas
Speluncas: Regem assuetis concentibus almum
Dicite coelicolûm: Regis quoque dicite Matrem
Intactam: et votis, precibusque vocate supremum
Ductorem Alituum: totasque ciete choreas.
At vos, o cautes durae, tuque hospita tellus,
Salvete, et nostros longum servate nepotes:
Este illis generosa domus; natisque futuris
Praebete hospitium; fidos praebete receptus.
Tu nemus, intactumque comas, expersque securis
Vive diu; lassisque acres defende calores.
Unum adeo semel, atque iterum monuisse juvabit:
Flavicomi ne te lucis praeferre Subasi
Usquam aude; neu te Reginae aequare potentis

Posse aedem spera, neu parva cacumina tenta:
Sed magnam venerare Deam; pia semper adora
Limina supplicibus votis. Age, prima subinde
Tu mox regna tene; tibi proximus ordine post haec
Surgat honos: jam nostrarum (quaecumque erit olim)
Praecipue attollet coelo te gloria rerum.

Vos contra, o socii, memores este hospitis olim;
Orandaeque animis longum servate per aevum
Nomen; magnanimique abolescant dona, cavete,
Tanta viri: neu vos antra haec, rupesque fragosas,
Regna olim nostra, et nostris transcripta maniplis,
Obducive situ sinite, aut torpere veterno.
Imo agite, haud segnes: non rarus saxa colonus
Haec teneat, sed turba frequens: sint optima morum
Qui populis monumenta ferant; virtutis et aedes
Praemonstrent; quique edisant oracula vatum.

Exoriare aliquis nostris e coetibus olim,
Orandae qui facta canas; qui regia vulgo
Dona per ora virûm portes; qui carmine dicas,
Ut primum exceptos nos ille penatibus altis
Foverit hospitio; et, longis sermonibus actis,
Ingentes ut opes partim largitus egenis,
Partim coelicolis, proventum effuderit omnem.
Tum cantes, nobis, venturorumque nepotum
(Qui mox cumque ferent) nostrorum ut coetibus ultro
Has dederit dono sedes, nostrisque dicarit
Usibus hunc lucum; nos ut perduxerit ipse
Huc, iter ingressus, placidus comes; utque per altos
Deducens scopulos, veterum monumenta locorum
Singula monstrarit passim; utque edixerit olim
Haec antra immanes, foedosque habitasse coloros.

Jam vero hic meme tempus monet, actibus ultro
Vos onerem jussis: transcribi, agite, ordine quondam
Haec date perpetuo vestrorum dicta futuris
Natorum natis, et qui nascentur ab illis.

Quis vestrum ignorat (neque enim facta inclyta clarae

Lucis egent) nobis dudum quam larga pararit
Hospitia Orandes? quantisque profusus egenos
Juverit auxiliis? genti quae spondeat olim
Dona Subasaeae? Verum quanto amplius ille
Muneribus certat, nos tanto impensius aequum est
Consulere angustis rebus; totius et usum
Devitare penus. Tam multa expendere fas est
Quid cultus vitae insuetus, moresque recentet;
Quid Superis promissa fides; quid denique poscat
Aurea paupertas: ne quondam, prodigus heros
Dum nimium indulget vobis, insana cupido
Oris inexpleti, semperque rapacis, hiatus
Praepandens avidos, nostri vi limine regni
Prodat eam, et longe depulsam absistere cogat.
Quare, agite, oblatis omnino parcite rebus;
Parcite opes tanti magnas petere hospitis usu;
Neve animis sedeat tam dira licentia vestris.
Me vero (quondam sic namque oracula divûm
Sancta canunt, reditumque mihi praenuntiat ore
Virgineo Regina poli) laeta arva Subasi
Nunc reducem accipient: fato haec me terra reposcit.
  Hic tandem, facto jam tantis fine, Lysenon
Sic brevibus monet. Unus ades mihi fide: laborem
Tu longae solare viae: ne desere: lasso
Tu columen, membris custos tu sedulus aegris.
  Haec memorat: lacrymis suffusos undique pubes
Circumstat defixa oculos; tristique tumultu
Abscessum patris delamentatur acerbum:
Quam bonus ipse manu sacrâ lustrabat, et ore;
Accinctusque dabat moestis, de more, salutem.
Sic, ubi pastor agens alta ad dumeta capellas,
Matribus adjungit, septisque intercipit haedos
Invalidos, et quos jam cultris destinat atris:
Depulsum gemit, et balatus objice clausum
Dat longos imbelle pecus; frustraque petulco
Ore vocat matrem; frustra ubera nota requirit.

Ergo iter ingressi, paulatim culmina montis
Suffugiunt, comitumque oculos magis usque fatigant.
Est inter tetricos modico locus aequore colles
Protentus, saxisque horrens; qua gurgite Tibris
Parvus adhuc, fluvioque brevis, perque aspera pronum
Saxa ciens cursum, stringit non grandia lapsu
Moenia praecipiti; plebes quam dicitur urbem
Tusca sibi, nomenque suum sacrasse coronae
Aethereae, et longos positam coluisse per annos.
Quo postquam ventum est, veteris pater hospes amici
Aedibus excipitur notis: tum corpora curant
Unà heros, sociusque epulis, placidaque quiete.
Vir fuit hic, cui tota (horrens, ac flebile mon-
Viscera flumineo suffusa liquore tumebant, (strum!)
Flammeaque ardebant: largis nec potibus ardor
Cedebat: tam quippe vocant mage pocula fauces
Flagrantes, quam plena illi magis ora redundant,
Et tumor increscit miseris, humore refuso,
Artubus. Ergo atros luctus, saevasque querelas
Tantum ille ingeminat, crudelia numina dicens,
Crudelesque moras lethi, crudeliaque astra:
Paeonias frustra tentatas devovet artes,
Et frustra expertum toties, frustraque vocatum
Odit Philyriden, medicasque avertitur herbas.
Audierat tamen hic clari memorabile nomen
Francisci; nec non pridem facta inclyta norat.
Mox ergo (hic primum spes quando oblata salutis)
Ultro animi fidens, arrectusque omine tanto,
Poscit opem patris: invitis nec jam irrita vota
Numinibus versat. Namque ut bonus adfuit heros,
Et tetigit, simul utque sonos demurmurat ore
Coelestes, lustratque manu (mirabile dictu!)
Continuo cessitque dolor, cessitque refusa
Alluvies; unà omnis abit tumor; et decor artus
Mox aequalis obit, redeuntque in pristina vires.
Mirum, insuetum, ingens, divinumque undique turbae

Attonitae circumspiciunt opus. Ille ubi firmo
Nequicquam titubans gressu stetit: Haec mihi forma
Vera ne? (ait) vivo ne ipse? an suprema dolores
Forte meos lux exhausit? vivo ipse profecto :
Nec ludunt umbrae: deus haec agit : haec ope divûm
Proveniunt, nosco: humanae non talia vires
Dona ferunt: tua, sidereae, pater optime, lucis
Quae radiis micat, et praeclaris fulgurat astris,
Fudit opus magnum, nullos majora per annos
Non fusura, manus: virtus latet enthea palmis.
Haec vir fatidicis memorabat vocibus. Heros
Discessum interea molitus, rite tenebat
Certus iter: fidus curis, animoque Lyaenus
Olli non impar, ibat comes, illius ore
Multa legens monita, atque imo sub pectore condens.

Et jam devexo rutilans temone, rubentes
Phoebus Atlanthaeas currus urgebat in undas;
Cum medio ecce viae (venturum nuntia passim
Fama heroa canit) sese fert obvia patri
Turba virûm. Hi miseram stipantes undique matrem,
Usque adeo cingunt mediam denso agmine: jamque
Multa recusantem, et contra simul obnitentem
Vi raptant juvenes: et ni fera brachia vinclis
Arctassent duris, manibusque in terga retortis,
Astu praedomitam cepissent; protinus illa
Emicet effugiens, pubemque elapsa relinquat
Delusam, repetatque cavas, de more, latebras.
Hanc juveni inviso jampridem (ea fama) jugarat
Primaevam durus genitor: vesana subinde
Illa atros sine luce dies, noctesque soporis
Immunes, lacrymis, luctuque incestat amaro.
Hinc pater, hinc genitrix, et quae fuit una sorori
Chara soror, blandos monitus, solantiaque ultro
Verba ferunt: aversa modum, finemque gemendi,
Abnuit illa, Patriique deûm convicia magno

Dira facit. Jamque e stygiis furialia regnis
Monstra ciere parat, seseque immanibus hydris
Destinat Eumenidum: nec dehinc mora: nocte silenti
Exsurgens furibunda, domo se proripit, altasque
Evolat in sylvas, obscuraque lustra ferarum.
Dumque amens, animique furens caeca antra requirit;
Terricrepis ardens facibus, crudelis Erinnys
Improviso adstat, coramque insultat, et atris
Anguibus hirsutum quassat caput, et fera jactat
Vipereis circum spiris data brachia: moti
Cervices alte subito erexere cerastae,
Et linguis sonuere atrum, et micuere trisulcis.
Constitit infelix visu perterrita virgo
Immani: obriguere oculi, cervixque repente;
Perque artus, perque ossa tremor subit intima quassans;
Frigidus it toto proruptus corpore sudor.
Tum vero incoepti piget, et furialibus ansis
Poenitet addixisse animum: jam vocibus altis
Multa hominum ciet auxilium, veniamque precatur
Numina: rebus inops at sero consulit aegris.
Quod superest, trepidat: trepidantem corripit ultrix
Eumenis; extemploque ciet Phlegetontis ab undis
Monstrorum omne genus: legio advolat ilicet atra;
Invaditque, trahitque aegram, furiatque venenis
Vipereis mentem, poenisque exercet amaris.
Non tam immane Athamas, non sic ululavit Agave;
Penthea discerpens haec, ille ad saxa Learchi
Dira, ferox, caput effringens: jam caede furores
Mitius Orphea Ciconum exarsisse putares.
Perfurit ergo amens, poenisque afflicta cruentis,
Bacchatur; si quà stimulos, acresque furores
Excutere infelix lymphato e pectore possit.
Ex illo turbas hominum, sacrataque divûm
Templa cavet; veteres jam tum exhorrescit amicas;
Horrescit sedes, et limina nota parentum:

Caeca latens fovet antra die, solosque recessus;
Nocte insopitam, subter rorantibus umbris,
Excipiunt arva, aut horrentia lustra ferarum.
Interea agrestum coetus si forte repertam,
Aut consanguinei deprensam in vincla petissent,
Assuetâque domus statuissent sede revinctam;
Continuo horrificis ululatibus omnia complet,
Congeminat fletus, lamentisque instrepit atris.
Nunc vero lugubre canit, nunc voce fragores
Terricrepos coeli, pelagique imitante procellas,
Tecta domus quatit, et tonitru simul aethera pulsat.
Hanc ergo implicitam loris, atramque frementem,
Spumantemque oris rictum, atque ardentia flammis
Lumina torquentem, pubes collecta trahebat,
Sistebatque patris pedibus venientis, et orans
Auxilium miserae poscebat: quippe salutem
Fama, canens opera alta viri, dextramque potentem,
Et matutini praecurrens nuntia facti,
Nequicquam ambiguam quondam sperare monebat.
Constitit, obtutuque heros hic providus haesit;
Moxque infelicis sortem miseratus iniquam
Matris (ea haud homini vis est, haud tanta potestas;
Haud res ipsa ingens aequa est mortalibus ausis)
Attollens coelo palmas, sic voce precatur.
Magne Opifex rerum, Domitorque ingentis Olympi;
Alituum quem mille obeunt famulantia circum
Agmina; cui vastos sternunt maris aequora fluctus;
Cui paret tellus, metuit quem Tartarus ingens;
Quem Furiae, quem rex Erebi implacabilis horret:
Adspice nunc, ut monstra tuis acherontia regnis
Insultent: viden', aethereo quas semine fictas
Tu solus Genitor terreno obnubis amictu,
Ut coelo avertant animas, passimque sub undas
Detrudant stygias? Quin, heu! modo corpora poenis
Afflictant diris miserorum, et verbere quassant;
Vipereisque hebetant mentes, furiantque venenis.

Heu! quianam foedis tam saeva licentia monstris?
Quidve tuam luere atra sinis, Pater optime, gentem
Supplicia! at merita est rea culpae, et criminis. Esto.
Sed tu non ne olim veniam bonus objicis ultro
Sontibus? indulgesque reis? et grandia vulgo
Dona super, tantum pacem exposcentibus, addis?
Ergo animis si cura hominum coelestibus ulla est,
Si qua hodie pietas antiqua tuetur ab alto
Aethere mortales aegros; hanc adspice matrem
Nunc, oro, miserae da tandem evadere pestem
Crudelem, o Genitor, monstrosoque eripe fato.
  Sic orat: furit illa, gemit, stridoribus altis
Exululat; tum mole ingens, atque ardua, praecepsque
Heroem petit; ut quondam Tyrinthius ardens
Irruit in Cacum, aut quantus Polyphemus in Acin.
At Pater intrepidus furias deridet inanes;
Ingeminatque preces, supplexque in vota vocatos
Sollicitat divos, atque acrius instat, Erynnin
Increpitans. Et jam legiō tremit effera; jamque
Mitius intus agit, ceditque, ruitque, fugamque
Praecipitans, acri vi tandem exterrita, matrem
Deserit, et vasto tonitru simul aethera quassat.
  Illa hic submissoque gradu, excussoque furore,
Corruit; extemploque artus labefacta resolvit
Exangues. Jacet, haud ullo sub pectore motu
Spiramenta ciens: quondam ceu fessus arator,
Seu sub glandiferae frondoso tegmine quercus,
Sive sub incurvo scruposae fornice rupis,
Deprensus nimbo, cadit atro fulmine quassus.
Insequitur vulgi confestim clamor ovantis:
Et coelo plausus: Francisci nomen Olympo
Assonat; et valles circum, montesque resultant.
Tum consanguinei collapsam in tecta reportant;
Et lymphis revocant animam, atque aspergine bacchi.
  Continuo et magnum heroem, sociumque Lyaenon,
Multa indulgentes animis, multa ore verentes,

Sub tecta accipiunt: dapibus dehinc rite refectos,
Stramineoque toro, atque agresti sede locarunt.
  Interea nox, astriferis invecta quadrigis,
Praecipitat cursum; croceosque aurora jugales
Evocat Oceano, totoque agit orbe tenebras:
Corripit e stratis cum se pater excitus altis
Franciscus, fidumque vocat, de more, Lyaenon;
Hospitibusque datà multà, acceptàque salute,
Mox iter ingreditur. Comes una passibus aequis
Prosequitur, tardique vigil rude terga fatigat
Vectoris: nec deinde usquam sessoris amati
Amittit curam; lateri sed fixus inhaeret,
Nutantemque regit custos, et sustinet aegrum.
  Jam semel atque iterum nigros spectarat Iberos
Vesper, et occiduas gentes bis sparserat umbris:
Cum Tybrin excelsi turrita heroes ab urbe
Despiciunt, imae vallis devexa secantem; –
Et longe adspectant flavi laeta arva Subasi;
Parvaque Reginae delubra jacentia campis
Sidereae patulis geminatà voce salutant.
Accelerant; atque hic dictis pater ipse futurum
Mulcet iter, sociumque prior compellat euntem.
Fides, audis? Audi, atque animo mea dicta reconde.
Principio cape, divini sibi numinis haustu
Quemque hominum nascentem animas arcessere puras.
Hinc illos coelestis amor rapit; enthea namque
Ignibus aethereis, sensus effusa per omnes,
Vis agitat mentes, et noxia corpora fraenat;
Neve hebetent animas, terrenos temperat artus.
Et tamen hi cupiunt, gaudent, metuuntque, dolent-
Atque omnes idem ardor habet; sedet omnibus una(que;
Cura boni: hujus amor vocat, allicit, attrahit omnes:
Unum id amant, cunctique optant, totisque sequuntur
Viribus, una omnes sed non via ducit euntes.
  Quippe hos ingenium fovet, et solertia vivax,
Natura donante, ciet; quos discere semper,

Et vitam egregias juvat excoluisse per artes,
Praestantesque usus meditando extundere rerum.
Hinc versare manu veterum monumenta virorum
Assiduâ curae est: atque hi modo semina rerum
Scrutantur, modo ne immensi primordia mundi
Ulla ierint; aut jam semper, nec limite primo
Clausa ingens steterit moles, rimarier audent:
Nunc juvat astrorum cursus, coelique meantis
Explorare vias: cur fulgeat udus Orion
Ense; quid hibernis protendat noctibus umbras;
Cur bruma horrescat; nix unde, unde imber, et ignes;
Grandine quis terras, quisve aethera fulmine quasset.
Forma, decorque aliis, vegetoque in corpore vastae
Optantur vires; atque his sine more parandis
Inconsulta bonis hominum gens aethera votis
Multa onerat, divosque orat, precibusque fatigat.
Tum, quibus haec natura, parens infensa, negarit,
Dejectos, viles, inopes, miserosque vocare,
Et vitae exsortes felicis dicere suevit.
Verum, age, conspicuos, picturatisque nitentes
Pavones caudis, cur hac ratione beatos
Credere non ausim? cur non Massyla leones
Terra suos? Indi cur non vastos elephantos?
Jam vero externis (haec namque domestica nobis)
Quis labor, aut quae cura instet, simul adspice rebus.
Divitias optant alii, quae maxima turba est;
Nec jam quaerendi finem (namque occidit auri
Haud unquam vesana fames) furiata cupido
Agnoscit. Nondum primus jacet ardor habendi,
Cum novus insurgit; jejunos semper hiatus
Praepandit, semperque sinu tumet illa capaci.
Et jam cerne alios similes, et compare fato
Innexos. En martis opus, vitaeque labores
Sanguineae duros juvat hos condiscere ab annis
Primaevis: tum vastifico pervadere gentes
Externas fremitu, et saevo quatere oppida bello.

Nec vero pars una orbis, non angulus unus
Sufficit immensis: sed enim insultare per ortus
Aurorae libet extremos, et Tethyos undas
Pertentare rubrae, et nigros contendere ad Indos;
Scilicet ut populos late sua sub juga mittant,
Quosque ingens tellus fovet, et quos alluit aequor.
His bene credit emi turba haec male provida factis
Nomina, perpetuum quondam victura per aevum.
  Sed quid ego haec tantis? quidve his te jam moror ultra?
Huc huc flecte oculos, bacchantisque agmina gentis
Perdita Achaemenio penitus nunc adspice luxu.
Hanc, virtute procul pulsâ, illaudata voluptas
Pellaci trahit ore; animisque illapsa, superbum
Imperium late exercet; solioque potita,
Regna aliena premit, furtisque exsultat iniquis.
Ah! gens una hominum magno quae ducis Olympo
Semina, quin tu, olim quo te dea perfida raptat,
Adspicis immanem cassum? quin provida cernis
Quo te praecipitat captam? aut unde evehit, ut spes
Eripiat certas, merito ut te fraudet honore?
Ah! fuge monstrificae, fuge Thessala carmina Circes;
Ne fluxis modo crede bonis: quin ardua coelo
Tolle caput, sanctumque genus, cognataque nosce
Sidera, coelestesque satus; unde aurea prodis
O stirps, aut in quos iterum reditura crearis.
Non hic certa domus: magni plaga lucida coeli
Te vocat, expectatque; et jam patria astra reposcunt.
  O pater (hic fidus tandem excipit ore Lyaenos)
Olim ego Grajugenûm, Romanorumque per ora
Haec monumenta virûm passim volitare frequenter
Audivi; quae cuncta animo simul ipse volutans,
Spes hominum mecum saepe indignabar inanes.
At tu, si quid habes certi, si qua est via caecis,
Quâ bona vera animis optato agnoscere detur,
Ede, pater; tantique operis succurre labori.
Annuit; extemploque heros sic deinde loquutus.

Unum adeo (nec cuncta vacat memorare profecto)
Hoc tantum cape : missa aliis jam caetera sunto .
Haud aegre invenies virtutum effulgere signis
Queis visum est coeleste bonum : nam quicquid acerbi,
Quicquid terrifici , quicquid miserabilis usquam est
Exitii , non jam exhorrent , ubi vivida virtus
Coelestes animos opera ad praeclara vocarit.
En patriae nutant dubiae res: ilicet adsunt
Hinc Decii : in flammas ruit illinc Mutius audax;
Et ponti intrepidus Cocles defendit Hetruscos:
En acies stratae , devictaque gloria belli
Occidit: exardens , et magnae prodigus ultro
Mox animae Paulus , morti se devovet atrae.
Nimirum hi fortes: nec deerant , provida magnos
Queis tunc mens animos valido sub corde regebat ;
Quosque fides , sanctique decus coeleste pudoris ,
Quos pietatis amor , cultus quos fecerat aequi
Apprime insignes , et relligione verendos .
Ergo his perpetuos quis non addicat honores ?
Quis neget egregiis coelestia praemia factis ?
Non ita , ne (moneo) tu rere id : gloria quando
Ardua nequicquam sese horum attollere coelo ;
Sed dejecta solo , proclivi serpere cursu ,
Voce hominum contenta cani, plausuque foveri .
Jam vero optato quo tandem fine quiescam ,
Da placidas aures , atque haec mea percipe dicta .
Sunt geminae , quibus alta solo vestigia presso
Defigunt, quibus et captant bona turbida, plantae :
Sunt totidem umbrantes humeros, quibus aethera tra-
Exsuperantque caras nubes, virtutibus alae. (nant,
Sublimem his mutae exercent , tacitaeque volatum ;
Donec sidereos tractus , sedesque beatas
Vi multa arripiant . Quo postquam tramite longo
Delatae, aeternisque bonis , soliisque potitae
Optatis , constant , mutura silentia cantu
Rumpunt, aethereoque exsolvunt vota Parenti ,

Suspenduntque tholo exuvias, tumulisque trophaea
Constituunt sacris, onerantque altaria donis;
Exemptaeque malis, durisque laboribus, et jam
Nequicquam incursu fortunae, aut turbine rerum
Quassandae, errores despectant aethere ab alto
Indignos hominum, et casus miserantur iniquos.
Et tunc ignavi mortales carpere durum
Usque adeo cunctamur iter, qua praevia laeto
Effulgens vultu vocat alta ad sidera virtus?
Et fugimus, coelo per quos via certa, labores?
Et, quae fida offert dux, praemia temnimus ultro?
Ultro ignominias nobis arcessimus atras?
Ah! vitae exactae pudeat, gens o bona, tandem.
Aligerae jam scande leves, age, concita bigas
Virtutis; vacuasque alte molita per auras
Lora manu, tacitos exerce muta volatus.
Neve dehinc pedibus terras devexa per imas
Curre iter: at magnâ tantam duce sidera forti
Congressu pete; et ingentis sacra ostia coeli
Praedatrix irrumpe boni, sedisque beatae:
Unde voluptatem irrissam, secura malorum
Arce sedens tutâ, jam tum ore immane frementem,
Bacchantemque animo, et frustra sua damna gementem,
Despectare queas; Stygis unde horrentia subter
Moerentis vada, Cocytique tumentia luctu
Stagna, Acheronteique ardentes gurgitis aestus
Cernere erit; quo sontum animae, turbaeque nocen-
Fulmine dejectae immani, flammantibus undis (tum
Pendunt supplicia, et jugi torrentur in igne.
Hoc iter heroes longum sermone levarant.
Et jam finis erat dictis: delubraque Divae
Haud longe apparent simul improvisa potentis.
Vix introgressi, et Superos de more precati,
Cum subito occurrit comitum laetissima pubes;
Excipiuntque patrem, et subvectum molliter ulnis,
Sub penetrale ferunt, fessumque ex ordine curant.

Et jam, sidereis postquam fulgoribus artus
Accensus, gressuque tremens, et debilis aegro,
Franciscus pater Hetruscis decesserat oris,
Bis Titan, retro cursu flammante reducto,
Liquerat Aemonii glacialia sidera monstri;
Bis tumidum radiis Cancrum lustrarat anhelis;
Et quater umbra ierat luci par nigra diei;
Parque hominum sopita quies quater acta labori:
Cum Genitor Divûm, et summi Regnator Olympi,
Innixus solio stellanti luce corusca,
Totus amore flagrans, et laeta mente serenus,
Aetheraque illustrans vultu, media arce sedebat;
Perpetuumque dabat cursum lucentibus astris;
Et rerum vitas animo fundebat ab alto.
Cui Natus. Meme, o Genitor, nunc ipsa vocat res:
Nunc et tempus adest (tibi enim jam cognita primum
Summa omnis rerum, et miri sententia facti)
Signiferi tandem quo dura incommoda nostri
Adspiciam; atque acres miserans per membra dolores
Languida serpentes, praesens mitescere cogam.
Tu, Pater (hoc matura dies, hoc postulat heros
Jam tempestivus coelo) viden', aeger ut annos
Jam binos mea signa ferat? Modo numine votis
Cede meis facili: heroem da solvere nexus
Mortales: duros da jam exhaurire labores:
Da puram, insontemque animam jam pondere molis
Terrenae exutam, convexa revisere coeli,
Et laetam augustâ nobiscum hac sede potiri.
Opportuna peto: sine, me hoc modo posse petentem
Prosit eum mihi jam similem haec mea signa tulisse.
Filius haec: contra cui mox Pater, oscula libans,
Aeternoque fovens gremio, amplexuque choaerens,
Intulit. An ne tuas vires quicquam effugit usquam,
Nate? Quid hoc precibus tantis onerare necesse est?
Quid fato addictum petis? Opperiuntur amatum
Heroem magni dudum alta palatia coeli.

Ergo, age (quando amor is tibi nunc, ea, Nate, vo-
Est animo) i, tecum sublimem tolle per auras Iuptas
Indigetem: siste huc altum, et bonus infer Olympo:
Imo, acies (si quando) omnes nunc instrue gentis
Aethereae; laetis quae te comitentur ovantes
Ordinibus; quae voce canant facta inclyta magni
Signiferi: ceu, post pugnata, evictaque bella,
Post rapta arma virûm, exuviasque, hostesque subactos
Magnanimos reges turbae, populique, patresque, tuos;
Laetitiâ exciti, et ludis, plausuque frementes,
Attollunt coelo, et claros dant ire triumphis.
  Talia sidereus Genitori vox aethere toto
Interea rumore sonat, spargitque secundo
Laetitiam superis, coelique alta atria complet.
Scilicet audierat Volucrum gens affore tempus,
Quo tandem, insignis stellis fulgentibus artus,
Astra Subasaeus conscenderet arduus heros,
Conciliis superûm decus, atque honor additus ingens.
  Ergo omnis toto legio fremit excita coelo
Alituum, laetumque sonat; stellantia passim
Tecta novis fervent studiis. Tum regia Proles,
Aeternoque aequeva Patri, fidum eligit omni
E numero Volucrum; breviter cui talia mandat.
  Et rupes Tarpeja tibi, rupisque colona,
Magna Jacobe, olim nota est. Age, donec utramque
Adspicias, te nulla quies, mora nulla volantem
Praepediat; lucus nec te Soractis amatus
Detineat celsi. Cursus dehinc fine potitus,
Mox decus Ausonidum, specimenque insigne pudoris
Divini, his tantum praeclaram heroida dictis
Alloquere: I, mater, festina. Subasida terram,
I, pete, Francisci funus structura supremum.
  Rex tantum: zephiros cursu praevertitur Ales
Et sublimis adhuc medium verrebat inane;
Cum jam dejectas Capitoli despicit arces.
Tum vero devexus iter declinat, et imum

Turbineo flexu descensum, et nubila gyris
Circinat obliquis; Jacobes ardua clarae
Donec tecta volans stringat plaudentibus alis.
Ventum erat ad castas sedes: incognitus alto
Infert se thalamo: matrem hic (venerabile visu!)
Conspicit egregiam; haudquicquam sub pectore curas
Degeneres versantem, animo aut quid vile putantem.
Tantum autem arcano fruitur taciturna deorum
Colloquio, et Patrem compellat mente supremum.
Tunc ergo his (neque enim effigie, sed voce fatigat
Ales eam) sese jussis onerarier audit.
Laetus ad aetheream (mora parva) Subasius heros
Tendit iter sedem, et terrena mole solutus
Spiritus, Eois mox sese interseret astris.
Tu ne dissimula, neu magno defice amico:
Busta etenim te sancta vocant, supremaque poscunt
Funera: (tolle moras) ades obsequiosa sepulchro:
Non hominum canit haec; divûm sed nuntius affert.
Sic monet, effugitque Ales, monitamque reliquit.
Hi motus coelo. Terris memorabile nomen
Francisci simul effulget, simul ora Subasi
Omnis ovans heroa canit: templa alta resultant
Concentu, precibusque: omnis calet ara Sabaeis
Messibus, igne micat, libisque, et floribus halat.
Una autem ante alias splendet, praeque omnibus una
Reginae divûm fervet conventibus aedes.
Jamque Subasacâ cives ex urbe frequentes
Saepe aderant: unâque viri tantum unius omnes
Conspectumque inhiant, et inusta insignia membris
Divina ingenti contendunt cernere amore.
Nec minus excitae vicina per oppida gentes,
Foemineos coetus, puerosque, chorosque puellarum
Ore, manuque viri lustrandos, undique ad aedem
Trasmittunt Divae, et votis sacra tecta frequentant.
Et jam Rex superûm, structis de more choreis,
Maturabat opus; decora immortalia ab imo,

Conciliis Divûm, et summo jam debita Olympo,
Secum una aethereis vecturus ad astra quadrigis.
Ergo aderat tempus non eluctabilis horae,
Quo Parcae niveis pensis extrema legebant
Stamina Francisco. Confestim praescius ille
Agnovit fatum, atque animo exsultante recepit
Spes immortales, felicisque otia vitae.
Tum vero has, orans, effudit ad aethera voces.
Magne hominum, divûmque Parens, Sator optime re-
Tuque una aeterni Proles, aequaevaque Patris, [rum.
Et vos Alituum cunei, indigetesque beati;
Accipite, oro, hodie Franciscum extrema loquentem,
Et date, quaeso, meis devexas vocibus aures.
Si vacet, et sontis numero comprendere noxas
Pergam animae, si quam saepe olim perditus ipse
(Nam neque erat tecum concors mea caeca voluntas,
Nec virtutis iter meme tunc ire juvabat)
Ore profanarim tua jussa, exorsus ab alto
Principio referam, memoremque infanda meorum
Pressius ausorum, et veteris contagia vitae;
Quis fandi modus? aut quo tandem fine quiescam?
Et tamen, o Genitor, nec tu das sanguine poenas
Me luere immanes; nec crimina tanta reposcis,
Quae meminisse pudet, mens quae sibi conscia facti
Nunc horret, culpatque adeo, refugitque. Sed o jam
Discite, mortales, quo me pia numina tollant,
Unde vocent, quae deinde parent, quo laudis honore
Dignentur. Si qua innumerae decus agmina gentis
Magna ferunt ducibus, nostros aequare triumphos
Quis valeat? nostro quae sese gloria regno
Componat? vires nostrae quis provocet urbis?
Stant vi fixa sua fundamina trina, superque
Moenia consurgunt, et propugnacula circum
Horrescunt: heroes ab aggere mille coruscant,
Aeratisque micant peltis, atque ensibus omnes
Fatiferis, martis turba haud ignara cruenti.

At non haec nostro, o Genitor, quaesita labore
Fama; meis non partus honor hic viribus: auctor
Tu tantorum operum: Soboles tua muneris hujus
Servatrix: spectator ego, attonitusque novarum
Mirator tantum rerum. Nunc (ordine quando
Has sortes, Pater, ire jubes, ea volvere fata)
Ecce extrema dies meme petit: ultima Parcae
Non exoratis manibus nent fila severae.
Tu vero has gentes, quas indiga ad arma vocavi,
Adspice nunc, et dexter adi; rege numine faustò;
Infandisque malis quondam hos pius eripe coetus.
His Patrem aethereum placat, gnatisque precando
Ipse suis veniam exposcit: quos deinde vocatos,
Assuetum in morem, sese coram ordine sistit;
Atque ultro extremum dictis affatur amicis.
O socii, haec meme (quo non optatius ullum
Munus eat) suprema dies spirabilis aurae
Luminis afflabit tandem: sol ultimus hic me
Luce petet: jam jam non eluctabilis urget
Hora, levique umbrâ obnubit vis aspera fati.
Nec temere id, nec spe mea mens frustratur inani
Me, magni presaga boni: quippe alta laboris
Me palma exhausti vocat: immortalia tempe
Expectant coeli: jam tum palantia cerno
Agmina coelicolûm, descensumque aethere ab alto,
Ordine perpetuo, et miro properantia cursu.
Sed quid vestra dolor (video namque atra repente
Nubila consedisse oculis, et tristibus umbris
Noctem importunam vultus texisse serenos)
Corda acer subiit? Quid vos laetabilis angit
Discessus, gemituque adeo contristat amaro?
Turbida non me Orci facies, non ferrens horror
Exterret lethi: juvat ire, extremaque vitae
Sponte lego: mihi parta quies; satis acta procellis
Nostra diu puppis portum subit: anchora durum
Prensavit scopulum, atque unco tenet improba morsu.

Desinite o meme lacrimis, atque omine tristi,
Desinite et laetos simul incestare triumphos.
Nunc vero (neque enim vos longa ambage morabor,
Nec fandi vis aegra queat) suprema loquentem
Percipite; atque animis penitus mea figite dicta;
Perpetuaque manu transcribite coetibus olim
Venturis nostrae gentis; pereantque cavete.
Ardua, sidereas quae nos via sistit ad arces:
Nec nisi per duros calles, clivosaque saxa
Aurea tendit iter virtus: hac ire necesse est
Vos duce; praecelsi montis si culmen amatum
Exsuperare juvet, sedesque intrare quietas,
Et demum optatis dulci stabulare sub umbra.
Nec vos interea seges hic Lernaea laborum
Terreat Exsurgentum; neve horrescite casus
Innumeros: praefulget enim, passimque malignos
Emollit dux ipsa adytus, et praemia monstrat.
Ipsa eadem, foribus residens fidissima coeli
Portarum custos, venientes accipit ultro
Felices animas; functosque laboribus astris
Inserit heroas, claroque immittit Olympo.
Quin et me, vestrum superet quo tutius altum
Quisque iter, audistis pridem mandata ferentem:
Haec illesa animis, moneo, servate volentes;
Et nostris, dum fas, parete hortatibus. Instat
Debita cuique dies, et inevitabile tempus
Imminet interitus cunctis: stat ferrea Clotho
Surdum opus intorquens, cogitque, trahitque morantes.
Ne vero res dura animos, angustaque frangat;
Neve horrens vexet cultus, tenuisque supellex
Imo, o felices, iterumque iterumque beati,
Noscere si curae vobis sit munera, quae jam
Aurea paupertas fundet! Nempe hac duce quondam
Bissenum manus heroum, coelestia Regis
Aetherei signa attollens, validâque per orbem
Alta ferens dextrâ, bissena sedilia coelo

Et peperit tum dura sibi, et modo parta triumpho
Laeta tenet claro, totoque exsultat Olympo.
Non ergo haec eadem vobis regina parabit
Praemia? num tantum vobis infida, negabit
Proventum, et vestras vacuis spes ludet aristis?
Imo ubi diva potens, eadem et fidissima regni
Dux nostri, ore diu vestro, cultuque per orbem
Fulserit: emeritos vos blanda attollet ad altas
Continuo sedes, et tutà sistet in arce.
Eja ergo, o socii, promissis fidite divae:
Neve mihi volucres sopito haec fingere somnos
Credite: numine agor, versoque in pectore numen.
Dixerat haec: et jam per languida membra refusus
Frigenti serpit dolor altius, et vetat horrens
Plura loqui: tantum lustrat pia dextera coetus.
Tum vero somnus fluitantia lumina condit
Pacatus: mors purpureo consedit in ore,
Terrore exuta, et placidà congesta quiete.
Quantus, Bistoniae cum primum, vere reverso,
Phoebeae rutilo percussae lampados igne,
Aut tepidis zephiri spirantis leniter auris
Incaluere nives, praecelsis liquitur humor
Montibus, et valles praeceps decurrit in imas:
Tantos demittunt humentia lumina rivos
Natorum; sic in lacrimas it turba profusas;
Frigentemque patrem gemitu circumstat amaro.
  Ecce autem, regemens dum sic penetrale tumultu
Miscetur tristi, resonantque sine ordine voces
Luctificae, natis, et foemineo comitatu
Stipata, et sacri feralia rite sepulchri
Dona ferens, Jacobe aderat: namque (haud mora) post- (quam
Praepetis audierat coelestia jussa ministri,
Anxia, funereis opibus, de more, paratis,
Longum herois iter brevibus transegerat horis.
Ergo improviso Romana gementibus illis
Coram adstat mater: corpusque exangue jacentis

Ut primum vidit patris, irruit incita, et atrum
Incumbens gemit. Ac veluti Bethana virago
Aetherei quondam vestigia sacra Magistri
Ore, sinuque fovens, largo moestissima fletu
Lavit: eam interea tacitis incessere dictis
Aemulus, atque ignominiâ damnare pudoris:
Sic patris exanimi parcentibus Ausonis ulnis
Stellantes complexa pedes, atque oscula figens
Humida, inexhaustos gemitus dat pectore mater.
Tum lentam sese, quamvis properaverit, amens
Incusat, tardosque accessus increpat ultro:
Nec non visa refert, divinaque jussa renarrat.
Hic vero (immitis quamquam dolor omnia turbat,
Muniaque abrumpit gravis exequialia luctus)
Intenti comites, funebre ex ordine curae
Queis sacrum instruere est, fervent, moestosque paratus
Urgent ardentes. Ac primum sedis honestae
Delecto hospitio, suggestae molis in auras
Educunt tumulum, et sacrato carmine signant:
Fulgentemque crucem formant, notissima divo
Arma, virumque suis stellantem insignibus addunt.
Parte alia, puro latices e fonte petitos
Aere cavo excipiunt alii, domitosque calore
Flammarum expediunt, et corpus flumine purgant.
Cesserat has inter curas e corde parumper
Jam matris dolor; et tristem vis reddita mentem
Exoierat. Tunc funereum jubet ocyus omnem
Ornatum afferri; vestes, funalia, odores,
Vela, torosque leves. Tum membra exanguia mollis
Carbasus obnubit, tenuique involvit amictu:
Mox vero Assyriis respergunt roribus artus,
Coryciosque imbres, et odora opobalsama vergunt,
Verque Arabum fundunt: Cinyreidos illita guttis
Vela Palaestinis super immaduere fluentis.
Defletum hic corpus molli imposuere pheretro;
Ultro humeris proceres cui mox subiere recurvis

(Grande ministerium !) : facibus longo ordine coetus
Fulgent accensi , et flammis late omnia lustrant .
Ut ventum ad tumulum, in medio statuere pheretrum:
Et circum ad cantus patres, de more, coacti,
Felici misere animae felicia honoris
Munera supremi, aeternamque dedere quietem .
Inde animo , linguaque gravis , maturus et aevi
Bernardus dextra corpus ter lustrat ; et unda
Spargit ter pura ; ter flamma , et thuris odore
Rite vaporatum , sacrata contegit urna .
  Rex vero aethereus , cum pridem in limine vitae
Luctantem heroem coelo spectasset ab alto ;
Longius haud passus crudos saevire dolores ,
Aligerûm ingenti circum stipante corona ,
Ultro se placido lapsu demiserat: et jam
Haec , instans olli supra caput , ore sereno.
O vita , o magnis defuncte laboribus , ecquid
Agnoscis me ? Agnosce: oculos nunc exere laetos.
Adsum equidem , toties olim promissa daturus
Gaudia: laeta dies eadem , et suprema, quieti
Haec te perpetuae , et magno transcribet Olympo.
Tuque , anima o saevis jam pridem erepta periclis,
Solvere: quid cessas ? terrena , age, vincula rumpe:
Molem linque gravem , sedesque attollere ad altas.
  Haec memorans Rex ore, manu jam pectus anhelum
Presserat: exsiliens mox illa , et frigida linquens
Membra , Deique sinus inserpens laeta per altos ,
Condiderat sese penitus. Nec dehinc mora: bigis
Illam sidereis vectam cum Rege Volucres
Sustulerant coelo , et delectà sede locarant.

Ad Divum mancae laudis excusatio

Non potui , nec erat mihi fas aequare canendo
Te, pater ; aequasti qui donum aequabile nulli.

IN

FRANCISCIADOS LIBROS XIII.

ANNOTATIONES

ANNOTATIONES IN L. I.

v. 1 = 2. Astricomis ... vulneribus. *De hoc, et aliis insolentibus vocabulis, quae Maurus vel procudit ipse, vel ab impuris fontibus derivat, diximus in critica disquisitione initio voluminis, quam adeas, si placet. Hic ergo lectorem latini nitoris, et bonae poeseos studiosum admonebimus, nos valde in incerto esse utrum horum, novitasne verbi, an tumor metaphorae, maxime in primo poematis vestibulo, sit vitium dicendi magis improbandum. Quae ad epici carminis propositionem annotanda erant, in praefatione jam attigimus.*

10 = 22. *Imitatur Virgilium, Georg. L. I. v.*24=42, *et Lucanum, qui Virgilii habet similia, Pharsaliae L.* 1. *v.* 44 = 66. *Confer utrumque poetam cum nostro, et videbis quod illi omnino falso, atque adulatorie, alter de Caesare Augusto, alter vero, pessimo exemplo, de immanissimo tyranno Nerone, hic verissime dici de Divo Francisco, qui quum et Seraphicus et Patriarcha pauperum, sive Evangelicae paupertatis Apostolus merito nuncupetur, haec dubium faciunt poetam, an inter Angelicos Ordines, an Patriarchas inter, et Apostolos receptus sit. Quare, ut primam Divini*

Spiritus (v. 5 = 9.) ita hanc alteram sanctissimi Patriarchae invocationem omnibus numeris absolutam judicamus .

46. Multa *pro* multum *est a Virgilio , aliisque bonis auctoribus ; sed hanc, aliasque itidem raras in illis dicendi rationes passim a Mauro usurpari videbis .*

69 = 70. *Hi duo Mauri versus in memoriam revocant illum Virgilii :* Haec alternanti potior sententia visa est ; *Aen: IV. v.* 287.

80. *Janus a Virgilio, Aen. L. XII.*, bifrons , *ab Ovidio, I. Fast.*, biceps *nominatur , et alia item nomina habuit , vel cognomina ; sed illum* occipitis non lumine frontis vidisse, *nove , atque ideo non latine dictum videtur .*

176 = 212. *Describit poeta corruptissimos saeculi XII. mores , quo constet , factum omnino divinitus , ut Franciscus errantes homines ad bonam mentem, atque ad Evangelicas leges revocaret . Idem adfirmant in Prologo Auctores Vitae , quae inscribitur* Legenda trium Sociorum , *omnesque uno ore illius infelicissimi temporis Historici . Vide de hac re nostras in Aligherii hymnum annotationes ad finem . (n. 1.)*

218. *Hac periphrasi diducta a lustris ducentis , et quadraginta , quae a Christi obitu adnumerantur, indicatur poetice annus, quo Franciscus natus est Assisii ; qui annus ex cl. Papinii sententia (La Storia di S. Francesco d' Assisi ecc. Fuligno 1825. L. 1. C. 1. Pag. 11.) est a recuperata salute MCLXXXI. mense Septembri ; quo die vero, ignotum est. Locutio , quae numerum tantummodo rotundum exhibet , est plane Virgiliana .*

250. *Optimo jure et hic et postea, v.* 308., *loquer-*

tem inducit poeta Divum Michaëlem, quippe et Coelestium Aligerum Princeps, et infernorum Spirituum generi humano adversantium hostis infestissimus, et quem Franciscus maxime colebat. Haec altera Michaëlis oratio imitatur Veneris orationem apud Virgilium, Aen. L. 1. *v.* 233., *ut aeque Divini Redemptoris responsum, v.* 348; *licet sententiae initio repetitae sint, non valde quidem opportune, a Jobi Cap. XXXIII: tamen postea refert aliqua ex parte Jovis in dicendo tenorem (ib. v.* 261.*); in quibus Mauri orationibus, et maxime in ea quam postremam indicavimus, non semper poeticum decorem, ut Christianum vatem deceret, servari videmus. Quare si cupis perspicere, quomodo poeta Christianus Deum O. M., Coelitesque ex personarum gravitate loquentes debeat inducere, adi egregium Torquati Tassi poema (Gerus. Lib. C.* 1. *St.* 7 = 12., *et ibidem St.* 13 = 17.*) ubi et Pater Aeternus, et Divus Michaël gravissimis verbis loquuntur, quamquam italicae orationis forma ex ethnico poeta, nempe ex iisdem Virgilii locis desumpta sit.*

444 = 486. *Pulcherrimus hymnus, quem delecti Aligeres canunt in laudem divini Reparatoris. Hujus exemplar vide in Virgilio Aen. L. VIII. v.* 285., *ubi juvenum chorus, alter senum concinunt Herculis laudes. Hic vero in christianum argumentum apprime traductam imitationem adspicies, quamquam latini poetae vestigiis Maurus omnino insistat, etiam in ea figura, qua a narrantis persona in aliam verba transferuntur. Sed* calcare praelia, *quod habetur v.* 454., *nescio an bonam sapiat latinitatem.*

512 = 539. *Adverte hoc in libro, itemque in VII., Tisiphonem easdem agere partes contra Franciscum, quas Juno contra Aeneam in Virgilio; ideoque illam, et nunc et alias, in eamdem prope loqui sententiam. Vide Junonis orationes in I. Aen. v. 41., et in VII. v.* 293.

614. *Similitudinem hanc profecto Maurus duxit a Virg., vel ex II. Aen. v.* 355., *vel ex IX. v.* 59.*; sed alia omnino forma, et alium ad finem, mutatis, additisque circumstantiis, quae novam, et pulchram efficiunt: et haec imitandi ratio sane laudabilis.*

636. *Quis fuerit iste Macherius ex tellure Subasia, qui alios lacessit ad luctam, nos in Italicis hujusce aevi historicis nequicquam quaesivimus. Sed, quamquam bellum, quod Perusinos inter et Asisinates exarsit, non effinxerit Maurus (nam et Celanus de eo loquitur in secunda vita, c.* 1. *pag.* 140., *Tres Comites, c. II., ac saepe tunc temporis italicae urbes finitimae inter sese depraeliabantur, atque, ut lepidissime ait Tassonius, loquens de temporibus huic nostro proximis,* Secchia rapita *c. I. st.* 3. -

Ruzzavano tra lor non altrimenti
Che disciolte polledre a calci, e a denti);

tamen hunc Macherium personam a Mauro confictam arbitramur. Illius autem cum Barcente singulare certamen descriptum est ad Virgilii normam, Aen. lib. V., ubi Daretem, atque Entellum cum cestibus luctantes inducit. At nova, et jocundissima nobis videtur in hac descriptione similitudo canis, v. 661 = 64., *qui dentibus petit juvencum; quam poetae sui temporis mores praebuerunt. Tunc enim non modo plebecula, sed et principes*

viri hujusmodi certaminibus delectabantur, quibus populi mores ferociores redduntur, quum juvenci adeo homini utiles, canesque nostri fidissimi custodes, sese invicem lacerantes conspiciuntur; quam consuetudinem et adhuc in aliquibus Italiae locis vigere quisquis humanitatis studiosus est, dolet quam maxime.

Sed certamen, quod postea Subasidas inter ac Perusinos gliscit atrocissimum, expressum est ex L. VII. Aen., ubi ex cervi occisione ferocem pugnam Ascanii comites, et Latini agricolae immiscent. Verum, ut aperte dicam quod sentio, pugna illa Virgiliana occasionem deinde praebet belli saevissimi, quod valde dubium facit, an Teucri possint in Latio consistere: quod idem fieri non videmus in hoc poemate; namque ex isto certamine, ac postea ex ipso bello, quod a Perusinis infertur genti Subasidae, nihil aliud consequitur quam Francisci captivitas; quae nihil pene ad illius maximas res pro Christiani populi utilitate perpetratas conferre nobis videtur.

ANNOTATIONES IN L. II.

v. 3. *Subasus mons est, ad cujus radices cubat Asisium, divi Francisci Patria. Hinc saepissime in hoc poemate Subasus pro urbe Asisio, et alia itidem nomina ab hoc detorta, quae ut propria, nemo reprehendet, quippe necessario, non ornandi causa efficta, quemadmodum coetera, pro quibus poetam nostrum incusandum censuimus. Habes in v. 5.* orae Subasidis, *pro agro Asisinate; occur-*

rent identidem vocabula Subasigenae,*pro* Asisinates; Gens Subasia *vel* Subasaea , *pro coetu Franciscali , pro civitate Asisinate ; et alia hujuscemodi .*

87 = 97. *Bellum hoc episodicum, quamquam prolixe descriptum reprehensione dignum putamus , tamen poeta aliquo modo conjungit cum prima sui carminis actione. Illo enim nihil aliud quaerit Tisiphone, quam excidium Francisci , qui* decus immortale Subasi *futurum est.*

119. *Mauri figmentum, quo Birtolides cum delecta manu primorum juvenum sese Subasaeis proceribus, de summa Reipublicae consultantibus, aggressurum noctu negligentes hostes pollicetur , diductum est , nonnullis immutatis , a pulcherrimo Nisi, et Euriali episodio in IX. Aen. v.* 176 = 449., *cum quo conferre nostrum non absurda res erit.*

250. Numero exigui , sed vivida bello Corda, Subasaei , *est a Virgilio* .... : exigui numero, sed bello vivida virtus. *Aen. L. V. v.* 754.

286. *Versus est* 160. *L. VI. Aen., mutato tantum ultimo vocabulo; nam pro* serebant , *Maurus reposuit* volutant. *Sed hoc convenientius viris suspensis , et de summa reipublicae salute in eodem loco consultantibus ; illud dubiis, sed iter facientibus.*

303. *Oratio Mistae , qui coelesti Numine afflatus, suos ab incoepto deterret , monstratque longe Franciscum . decore admodum effecta nobis videtur, quo Perusini sine ignominia absistant a bello, domumque , re infecta , revertantur. Nobis tamen , ut ingenue loquamur , non placet recessisse poetam ab historia ; quae edocet , non unum Franciscum, sed alios etiam Asisinates , tam nobiles quam*

ignobiles, inter captivos fuisse; atque, ut Celanus inquit, elapso tempore modico, *ut Tres Comites*, expleto anno, reformata pace, *a vinculis omnes liberatos. Quae nihil ad fabulam, ut haec magis vel juvet, vel delectet, possunt conferre, praesertim in hujusmodi carmine, quod totam herois vitam complectitur, satius est a poesi ea removere, in iisque ab historia non aberrare. Poterat Maurus aliquid ex Francisci captivitate attingere, quo illius vel resipiscentiam praepararet, vel futuram sanctimoniam portenderet, eo magis quod historia nonnulla huic rei opportunissima suppeditabat.*

353. *Thesauri allegoriam, cujus amore exardet Franciscus, transtulit poeta non tantum ab Evangelio, ubi praecipitur, quaerendum esse* thesaurum non deficientem in coelis, *sed ab iis, quae memorat Celanus in Vita Prima, C. IIII.; quibus si ille omnino adhaesisset, multo magis poetica fuisset narratio.*

Jam resipiscit Franciscus, et in speluncam montis Subasi se recipit, ubi commissa deflet piacula: quod tamen, recuperata libertate, non subito evenit. De antro illo loquuntur omnes Divi Patriarchae historici.

369. Flavi montis: *is est Subasus, quem poeta adpellat saepe* oliviferum, *ideoque* flavum, *epitheton hujus arboris proprium, ut nos edocet Virgilius, Aen. V. v.* 309.: flavaque caput nectentur oliva.

388. *Duobus morbis afflictum fuisse Franciscum, antequam perfectiorem vitam inciperet, narrant historici. Primum aegrotavit anno aetatis suae quarto et vigesimo, laboravitque stomachi, et virium defectu a quo morbo*

liberatus despi-ere coepit quae antea dilexerat : sed, ut memorat Celanus, Vita I. p. 6. : Expectat Franciscus adhuc divinam fugere manum, et paternae correctionis paulisper oblitus, arridentibus sibi prosperis, cogitat quae sunt mundi etc. *Proximo autem anno repente in morbum incidit Spoleti, quum militatum iret in Apuliam cum quodam equite suo familiari, ut gloriam, cujus avidissimus erat, sibi compararet. Quum hic febri aegrotaret, dormienti sibi audiit indici, Deo serviendum, Asisiumque pedem referendum. Nescio cur Maurus de primo tantum morbo locutus sit, cum alter magis poeticae fictioni idoneus videretur.*

415. *Verbum* colludere *de viribus jam confirmatis, vel roboratis usurpatum, non arbitror proprie dictum. Similitudinem colubri, v.* 417 = 19. *transtulit Maurus a II. Aen., v.* 471 = 75.

420 = 76. *En primum Francisci factum maxime dignum commendatione, quod in omnibus ejus historicis invenies. Hoc fuse narrari non displicebit, si cogitaveris, hanc esse cyclici poematis naturam, quae insignis viri res gestas pene omnes enarrat.*

427 = 85. *Famae descriptionem, imo pulcherrimam omnium Idolopejam in IV., Aen. v.* 174 = 90., *quis ignorat? At vide quam sit periculosae plenum opus alaee adtingere ea, quae summi poetae adamussim effinxerunt. Cur hic noster Famam depingit* raucisonam, *et cum* gutture stridenti, *quum praeclarissimum factum divulget, non pravum ut Fama Virgilii, qui tamen illi* raucum *hunc* sonum *non dedit? Cur* scissae vestis ei tegmen *adtribuit, quum* mobilibus alis *postea* adtollatur? *Nec video, cur ea* pernici

cursu ardua nubila exsuperet, *quod in Virgilio, ut caetera, allegorice, et perbelle confictum: neque huic loco quadrat; nisi dixeris, voluisse Maurum significare, illud Francisci factum non modo per vulgi, sed et per principum virorum ora quam celerrime ivisse: quod et longe petitum, et absonum hic judicamus.*

486 = 578 *Non videtur nobis personae decori conveniens haec fictio, qua Aeternus Pater, ut ad Franciscum mitteretur Ales coelestis, eligit pingendi et exculpendi peritum, qui, utpote hujusmodi picturis coelorum atrium affabre ornaverat, Francisco allegoricas picturas effingeret. Nec minus importunum arbitramur alterum commentum (v.* 541=578), *quo Aliger aethereus deum Somnum inquirit, qui Francisco soporem injiceret, ut ipse postea divinum mandatum perficiat. Hoc ab Areosto primum excogitatum est, qui Divum Michaëlem facit itidem Dei jussu quaerentem Discordiam, et Silentium, quorum alterum in Somni domo morantem ille invenit; ejusque domus descriptio, quamquam ex XI. Metam. v.* 592. *magna ex parte sublata, miram tamen habet suavitatem, leporemque (Vide Orl. Fur. C. XIV. St.* 75; *et ib: St.* 92 *). Id vero non dedecet omnino tam varium, tamque multiplex poema, quod sapit etiam comoediam: at in hoc carmine pene totam Sanctissimi Patriarchae vitam complectente, hujusmodi commenta locum habere plane non debent. Nec praetereundum, Summi Patris orationem esse longiorem quam postulet Supremi Numinis Majestas, cui breviloquium dandum est, ut bene Servius adnotavit ad ea Virgilii:* Juppiter haec paucis; *Aen. X. v.* 16.

543 . . . distertere opinans. *Vox* distertere *non proba est*, *sed simplex* stertere ; *nam* desterto *latine quidem dicitur*, *at alio prorsus sensu*, *id est* stertendi finem dare ; *quod huic loco contrarium est. Neque* opinus *construitur ex optimae notae scriptoribus*, *apud quos et adjective sumitur*, *et* nec *illi praemittitur*. *Sed fortasse scribendum erat* opinans.

581. *Visi hujusce mentionem facit Celanus, praecipue in Vita altera, pag:* 141. . . . . Palatium speciosum sibi (*Francisco*) in visione ostenditur, in quo varios apparatus armorum, et sponsam pulcherrimam cernit; vocatur in somnis Franciscus ex nomine, et horum omnium promissione allicitur. *Picturas addidit Maurus*, *qui tamen* Sponsam *non debuisset praeterire.*

708. *Arboris visionem arbitror a Mauro translatam non ex ulmo Virgilii*, *sede somniorum, quae foliis sub singulis haerent (Aen. VI.*282.*) sed ex libello italice scripto tam simpliciter et nitide, quam qui maxime, cui titulus* = FIORETTI DI S. FRANCESCO =, *ubi haec narrantur*: Frate Jacopo della Massa m' ha manifestato, e detto, che dopo molte cose, che Iddio gli rivelò dello stato della Chiesa Militante, egli vide in visione un arbore bello e grande molto, la cui radice era d' oro, li frutti suoi erano uomini, e tutti ereno Frati Minori: li rami suoi principali erano distinti secondo il numero delle Provincie dello Ordine, e ciascuno ramo avea tanti Frati, qaanti n' erano nella Provincia improntata in quello ramo, e allora egli seppe il numero di tutti li Frati dello Ordine, e di ciascuna Provincia, e anche li nomi loro, e la etade, e le condizioni, e gli uffici grandi, e le dignitadi, e le grazie di tutti, e le colpe (*C.* 48. *p.* 89. *Ediz. del P. Cesari*). *Sed hoc aliquanto post Franciscum contigisse, nempe*

cum Beatus Joannes Parmensis coetui Franciscali praeerat: ideoque anacronismon hic esse, et Maurum, item ut supra, plura de suo penu adjecisse perspicies. In hac enarranda visione, poeta effinxit vocem Frondigenas, *i. e.* fronde genitos, *ad formam* nubigenas, *vel* terrigenae, *quae latinissimae sunt: eamque minime damnamus eamdem ob causam, quam supra adtulimus.*

807. Puer Idaeus, *est Ganimedes, cui nolim Franciscum puerum comparari.*

831 = 898. = 918. *Hi duo puelli, qui duabus ex frondibus ejusdem plantae exsiliunt, sunt duo Divi Patriarchae Alumni; Antonius nempe cognomento Patavinus, et Bonaventura, sanctitate non minus quam doctrina utrique insignes: quod apertissime declaratur a versu* 920. *ad* 942.

991 = 99. Portae somniparae. Somniparus *vox est ex vocabulis* pario *et* somnus *efficta, quam Maurus parere non debuisset. Portas autem Somni, alteram ex ebore, ex cornu alteram, sumpsit idem ex VI. Aen., nescio tamen quam apte ad suum consilium.*

ANNOTATIONES IN L. III.

v. 23 = 27. *Eleganter hisce versibus significatur Christicolas vocari ad sacrificium solemne cum cantu.*

En quae sequuntur, partim ex historia deprompta sunt, partim a poeta nostro conficta. Referunt enim historici, Franciscum ad divi Damiani templum venisse, ante Christum in cruce suffixum orasse, eumque loquentem audiisse, atque imperantem, ut fu-

tiscentem Ecclesiam restauraret: quod non de illa, ut inquit Celanus pag. 145., quam Christus proprio sanguine acquisivit, sed de templo divi Damiani, jam pene ad ruinam prono, Franciscus interpretatus est.

209. *Dat hic poeta verba Francisco, antequam aurum de paterna arca auferat, nimis fortasse longa; sed profecto hanc iterum (V. L. I. v. 176 = 7.) occasionem arripuit, ut pessimos illius saeculi mores describeret, quo clarius pateret, quantum Christianus orbis debeat sanctissimo Patriarchae, qui pristinos Christicolarum purissimos mores, atque instituta revocare aggressus est; quam rem attigit etiam Poeta Florentinus in laudibus Francisci et Dominici. (V. Ann. 1. in versum =* In se sicura *ecc.)*

208. *Non intelligo cur hic quoque poeta, et libro proximo, ab historia recesserit. Non enim Franciscus, ut divi Damiani templum restauraret, aurum ex patris arca furtim, emotis vectibus, subripuit; sed stragulam vestem ex patris taberna plurimam eripiens, Fulginium eam secum, equo insidens, portavit; venditisque protinus veste et equo, pedes, pecuniam detulit ad divi Damiani aedituum. Ita sese habuit res, ut omnes antiqui historici, nulla differentia, testantur; Celanus, Vita I., Cap. IV.; Tres Comites, c. VI; Bonaventura, c. II. Sic furtum magis patrem latere poterat; sic demum, nostra sententia, narratio plus admirationis, plus probabilitatis simul, et jucunditatis habuisset. Nec quae postea de patre excandescente a poeta effinguntur, ab historiae veritate aeque aberrantia, eamdem ob causam nobis omnino probantur. V. L. IV. a v. 14. ad 96.*

265. = 768. *Exemplo Heleni, qui L. III. Aen. a v. 374. ad 462., Aeneam non modo cursum quem debeat tenere, sed etiam quid ei peragendum sit, postquam in Italiam appulerit, quaeque illi posthac evenient, edocet omnia non brevibus verbis*, **Maurus** *aedituum divi Damiani inducit, qui fatidico ore locutus, primo Jesu Christi verba interpretatur, deinde quae illi divo numine, ac mente contingent, singula expedit. Quisquis non ignoret. Deum O. M.* superbis resistere, humilibus autem gratiam dare, *non indecore humili aedituo tantarum rerum praedictionem tributam judicabit. Sed hic, ut alias, majorem fortasse lector eruditus rerum, et verborum parsimoniam saepius desiderabit.*

557. *Effuge hoc alterum insolens vocabulum* lenticomus, *quod Maurus a verbis* coma et lenta *audacter nimium effinxit.*

563. = 618. *Historiam hujusce* Capellae, *sic nuncupati ab italica voce* cappello, *quod, ut noster inquit, primus inter suos caput tegendi usum invexit, quique, licet divi Francisci socius, Judam Iscariotem imitatus, laqueo sese suspendit, abnegant, et omnino rejiciunt recentiores Francisci vitae scriptores (Vide cl. Papinium L. I. p. 196.); quippe veteres hujusce rei mentionem non faciunt. Et profecto Celanus, in Vita altera, p. 156., duos commemorat fratres, qui magnam sibi sanctitatis famam aucupaverant; sed eos semel visos, bonum habuisse vultum, non ingenium, D. Franciscus judicavit: de quo, ait ille loquens de secundo*, judicium Sancti patris, quod perversus erat, apostasia tandem probavit; *sed neutri eorum* cognomen Capellae *fuisse tradit. Tres Socii*

tantummodo memorant Joannem de Capella, ut sextum qui sese Francisco addidit comitem (*C. IX*).

604. *Plagam hic Erebi sextam nominat Maurus, Aligherium potius, qui in ea hypocritas coërcet, quam Virgilium sequutus, qui, Aen. VI. v. 434., in tertia umbrarum regione eos collocat, qui* lucem perosi animas projecere.

618. Hoc uno avulso comite, haud tibi deficit alter. *Versus ex Virgilio desumptus, Aen. L. VI. v. 143.:* uno avulso, non deficit alter; *sed a propria significatione ad metaphoricam non sine lepore translatus.*

667 = 723. *Divertit poeta in laudes Hispelli, patriae suae; quod nemo profecto ei vitio vertet; sed, licet sub alia persona, paullo jactantior quam par erat, de se ipse loquitur, qui post lustra bis terdena, saeculo nempe XVI. ineunte, ibi natus est, inopi militiae nomen dedit, et primus Franciscum epico carmine in coelum sustulit.*

731. *Attingit poeta calamitates, dissidia nempe, ac tribulationes in Minorum Ordine olim futuras: quas quum d. Patriarcha, morti proximus praedixerit (V. Bonav. C. XIV., et Papinium, L. I. N. XVII. p.* 238.)*, non erant hic memoranda, nec contra vaticinantium morem tam singillatim cuncta enumeranda.*

ANNOTATIONES IN L. IV.

v. 163 = 170. *Adverte novitatem, venustatemque similitudinis, qua Franciscus curis hinc inde oppressus, comparatur puello, quem dura tetrici magistri jussa cogunt nodosum lemma extricare.*

171 = 402. *Commentum, quo Voluptas et Virtus Franciscum ad sese allicere, pro viribus quaeque, conatur, transtulit Maurus a noto poemate de Herculis clypeo, quod Hesiodo solet attribui; sed earum orationes Ovidianam luxuriem imitantur, et superant.*

412 = 18. *Voluptas indignatur, quod Franciscus forti animo illius monitus contempserit; sed sese tamen solatur, cogitans illud tempus, quo, post Francisci obitum, propago ab illo ventura suum per terrarum orbem vexillum portabit, eique inserviet. Quibus verbis nobis illud tempus significari videtur, quo Elias universo coetui Franciscali praepositus, pristinam Divi Patriarchae paupertatem, duramque vitam oblitus, sese divitiis, luxuriaeque corrumpendum dedit, aliosque non paucos sui imitatores effecit: de qua re vide libellum Italice scriptum, cui titulus:* Vita di Frate Elia ecc. scritta dal P. Ireneo Affò M. O.; Parma Carmignani, 1783. p. 74. *Si vero poeta respexit ad Franciscales atratos, qui auctoritate Summi Pontificis, aliquid de rigida illa paupertate remiserunt, quibusque permissum est ut praedia possiderent, temeritatis notam effugere haud potest.*

428 = 663. *Convivium, quod Franciscus sodalibus, ab his impulsus, paravit, narrat Celanus, Vita Altera p.* 141., *ac Tres Comites, c. III. Verum hoc contingit statim ac Spoleto in patriam ille reverterat, Christi militiam, non mundi, secuturus, antequam Jesus Christus de Cruce ei loqueretur, et quam de stragula veste furtim divendita, ac de abjecta et paupercula vita adeo saeve illi pater succenseret. Quam rerum seriem absque causa hic esse a Mauro turbatam, no-*

his omnino non placet ; licet epici poetae nec temporum, nec rerum ordinem servent in narrando , ex prisca licentia. Sed hujusmodi convivii descriptio, maximi erat in hoc poemate momenti ; propterea quod ab illa hora *(ut ajunt Tres Comitès, C. C.)* coepit sibi *(Franciscus)* vilescere, et illa contemnere, quae prius habuerat in amore, non tamen adhuc plene, quia nondum erat penitus a saeculi vanitate solutus. *Peracto convivio , Franciscus, qui psallentes saltantesque sodales lentissime persequebatur , gradum repente continuit , restititque diu immobilis , divina quadam spiritus jocunditate perfusus. Hic , quum ejus adspectu obstupescerent socii , cuidam ex illis interroganti an uxorem vellet ducere, respondit, sese omnium nobilissimam, ditissimam, pulcherrimamque ducturum, paupertatem allegorice intelligens. Cur ergo historiae veritatem , tot mira continentem, deseruit poeta, ut fictas sine ratione fabulas consectaretur ? Ea praetermissa , quid Maurus reposuit ? Nempe Idam puellum canentem ad sonum chordarum , qui primo Joannis Evangelistae laudes concelebrat , dein futuras Francisci res gestas fatidico ore praenunciat. Est ne veri simile , hoc in eo convivio factum , ubi juvenes ,* filii Babylonis, *ut illos nuncupat Celanus , discumbebant ; quique , ut ejusdem utar eloquio,* cibariis repleti ad vomitum , platèas civitatis ebriis cantilenis commaculabant ? *Verum post aeditui in libro praecedenti, aliaque id genus vaticinia , quid hoc opus erat? Caeterum hic etiam conatus est Maurus imitari Virgilium , qui, Aen. I. v. 703 = 751., crinitum Jopam inducit canentem ad Didonis mensam ; et ab eodem etiam convivii*

apparatum magna sumpsit ex parte.

448. *Franciscus absens* niveo *lapillo subdidit* furvum, *id est atrum, ex notissimo veterum more, qui dies felices* albo *lapillo, dies autem aerumnosos* nigro *notabant. Sensus ergo hic est: diem felicissimum in tristissimum vertit absentia Francisci: quod tamen longe abest a vero; ille enim aderat convivio.*

459. Poscit tum praesul ab alto plectra toro. *Praesulis nomine hic intellige thaliarchum, seu convivii praestitem, quem diximus supra fuisse, ex historicis, Franciscum: de quo vide etiam Ann. VIII. in Hymnum; v.* Nè gli gravò ec.

526 = 558. *Ida puellus, loquens de Joanne Evangelista, visum primo unius, deinde quatuor coelestium Aligerum describit, ad normam eorum quae in Apocalypsi describuntur, C. VII.; ubi Franciscus, quemadmodum ait d. Bonaventura, in Prol. Vitae B. F.*, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis, signumque Dei vivi habentis, astruitur non immerito designatus.

652. *Vide annot. in v. 286. L. II.*

769. = *ad finem. Diximus jam nobis non probari poetam deserentem historiam, quae docet, Franciscum renuentem prius ad jus vocari coram Consulibus, stitisse postea, patre citante, coram Episcopo, eoque praesente, cessisse bonis paternis. Neque ea longa oratio (850 = 871), qua Franciscus patrem neque ex vero, neque ex decore incusat, tanti est, ut simplicitatem, ac sublimitatem repraesentet illius brevissimae, quam refert Celanus (Vita Altera, p. 146.):* Audientibus autem, qui convenerant, multis; amodo, inquit, dicam libere Pater noster, qui es in Coelis, non pater Petrus Bernardonis, cui non solum reddo

Ecclesiae pecuniam, sed integre vestimenta resigno. Nudus igitur ad Dominum pergam. *Disce, lector, ex hoc loco, copiam sermonis officere interdum sublimitati, cui simplicitas, et breviloquentia sunt caeterarum omnium virtutum carissimae.*

Habes in v. 772. praesule sacro, *et alias persaepe hoc vocabulum pro Episcopo, vel Antistite, quorum alterum magis ad poesim idoneum; sed vox* praesul, quod ea fuerit principis Saliorum appellatio, *ut jam annotavit Morcellius, Elect. l. I., Epig. IV., male aptatur Episcopo.*

ANNOTATIONES IN L. V.

Et hujus libri initio, ut alibi annotavimus, poeta, saepius quam necesse fuerat, ab historia recedit; nec semper, mea quidem sententia, feliciter. Displicet eum nihil dixisse de vinculis, in quibus inventum filium, et inhumanissime vexatum pater domi habuit aliquamdiu, invita uxore, quae natum, absente marito, ab illis exsolvit. Verum est quod ait de Antistite Asisinate (v. 17 = 29), *hunc suo pallio nudatum Franciscum contexisse; sed confictum est quod postea legitur, agricolam nempe improviso ad urbem, negotii causa, advenisse, suumque rude tegminis textum, ex humeris rejectum, dedisse Francisco: hic enim agricola inter Antistitis familiares numerabatur. Nec credas subito Franciscum amatae crucis forma textum illud vulgare insignivisse (v.* 45.)*: tunc etenim, ut memorat divus Bonaventura, inventum forte gypsum cepit, eoque vestem ad crucis normam in rustico illo texto notavit; quod revera protinus effecit. Deinde Antistes (v.* 81 = 140.)

divino Numine afflatus, juvenem solatur, *et laudibus ad coelum effert; quantaque ab eo sint peragenda praedicit: cujus orationis alteram partem*, *si ea advertas quae diximus ad v.* 428, *L. IV., omittendam fuisse censebis.*

49. Performidabile, *vocabulum* a formidine, *vel* formido, as, *novo exemplo a Mauro procusum*, *et, quod pejus est, saepe repetitum.* Performidatus *et* performidolosus, *ad quorum exemplum illud effictum est, satis latinae sunt voces.*

86 = 87. Quis Deus, quae Numina. *Haec* magis portenta, quam nomina, *ut verbis utar divi Hieronymi*, in ore Christiano sonare non debent.

159. *Pro* Atracia arte, *seu Thessala, magicam intellige*, *sic dictam ab Atrace, urbe Thessaliae*, *ubi haec pessima ars maxime viguit.*

248 = 386. *Aliquot annos post conversionem, vitamque in solitudine durissime actam, quam rem eleganter descripsit poeta a v.* 190. *ad* 247., *coepit revera Franciscus*, *et literis et voce, homines a vitiis absterrere. In hac oratione arbitror Maurum pleraque congessisse*, *quae in divi Patriarchae epistolis habentur*, *ad earum exemplum conscriptis*, *quas prisci Ecclesiae patres ad universos Christicolas dare solebant. (Vide S. Francisci opera omnia; Augustae, Anno MDCCXXXIX.; Opusculorum Tomo I. P. I.)*

290 = 91 *Ex v.* 19. 20. *Aen. L. VII.*

376. *Virg. Aen. IX. v.* 641. sic itur ad astra. *Mauri versus est pulchra hujus hemistichii paraphrasis.*

380 = 84. *Lector Virgilii studiosus meminisse debet*, *hunc locum desumptum esse ex Elysii descriptione, Aen. VI. v.* 640, 1.; *duos autem versus postremos, ex eodem libro v.* 795, 6.

403 = *ad finem. Loquitur poeta de Bernardo Quintavallensi*, *quem vocat divus Bonaventura*

Francisci primogenitum, tam prioritate temporis, quam privilegio sanctitatis ; *a B. autem Leone in B. Aegidii vita dicitur :* Vir mirabilis, multa decoratus prudentia, et divitiis redundans.

Ludit autem poeta (v. 404. = 12.) *in nominis origine primum a vere deducti ; unde* vernus, a, um, *et, ex illius sententia*, Vernardus, *donec litera v. in b. mutata ex more plebis romanae, quae* bixit *pro* vixit *proferebat (sic etiam Tusci scriptores, primis italicae linguae temporibus,* boce *pro* voce, boto *pro* voto, *aliaque id genus edebant, scribebantque)* Bernardus *effectus est. Hujusmodi collusiones dedecent fortasse epicum poetam; sed Maurus in hoc quoque Virgilium sequutus est, cujus exempla vide in Annot. V. ad Hymnum Aligherii.*

452. *Suum Genium appellat Angelum custodem suum, ad quem sequitur pia, et elegans precatio.*

583. *Hujus orationis, quam ad Eumenides habet Michaël, initium desumptum videtur ex illa, quam ad malignos spiritus a coelesti Aligero habitam esse legimus in maximo Italorum Vate (Inferno. C. IX. v. 91.).*

771. *Bernardi conversionem narrant fusius Tres Comites C. VIII. ; verum nec isti, nec alii historici hanc referunt visionem. Maurus, ut mirabiliora faciat quae narrat, multa effingit imitando Virgilium, ethnicamque superstitionem: quae res raro admodum Christiano argumento commode aptatur.* Trini *autem* monitus *(v.* 786.), *quos de cava nube vox reddita edicit, qui sint, disce ex d. Bonaventura, C. III., ubi haec habentur.* A Deo, inquit *(Franciscus)* est hoc consilium requirendum *(nempe quomodo Bernardus mundo nuntium remittens Deo inserviret).* Intraverunt proinde in Ecclesiam s. Nicolai, et, oratio-

ne praemissa, cultor Trinitatis Franciscus ter Evangeliorum librum aperuit, trino a Deo exposcens testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus*. In secunda: *Nihil tuleritis in via*. In tertia vero: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*. Haec est, ait Vir sanctus, vita, et regula nostra, omniumque, qui nostrae voluerint societati conjungi.

848. Mox cuncta simul date cognita venum. Hoc est venumdate, *ex usitata apud Grecos, et Latinos figura, quae Tmesis appellatur*.

ANNOTATIONES IN L. VI.

v. 1 = 7. *Verissimum est quod inquit poeta, Francisci famam magis magisque in dies per gentes crebrescere; cujus rei praecipua causa haec erat, quod hominum mentes non minus exemplo, quam verbis efficacissimis illico a vitiis removeret, atque ad perfectae vitae rationem impelleret. Nec fere unquam populo verba faciebat, quin aliqua insignis viri conversio recenseretur. Quod etiam testatur maxime ille* Ordo, *qui dicitur* Tertius, *vel* Ordo Poenitentium, *institutus propter illos, ut legitur in Chronico XXIV. Generalium,* qui matrimonio juncti facere poenitentiam flagitabant. *Tot enim erant viri et foeminae, qui Francisci verbis commoti ad meliorem frugem redire cupiebant, ut, quum in claustra secedere non possent, novam propter illos sodalitatem instituere necesse fuerit.*

Vitae institutum, quod Franciscus suis servandum proposuit, continet hic liber. De quo illud prius admonendum videtur, quod ne-

morant Tres Comites, C. IX., ad finem: Plures regulas fecit, et eas expertus est priusquam faceret illam, quam ultimam reliquit fratribus. *Quaenam igitur ex multis est haec, quam integram poeta versibus complexus est? Prima perscripta fuit A. R. S. MCCX.; eaque in Capita XXIII. divisa, ab Innocentio III. qui tunc rei christianae praeerat, non Apostolicis literis datis, sed voce tantummodo fuit adprobata. Ultima autem, quae* dicitur secunda regula, *verbis etiam pressior, at prioribus remissior, confirmata fuit ab Honorio III. Pontifice O. M., Kal. Decembris A. MCCXXIII. Hanc nobis exhibet Maurus, sed more suo, et ex licentia epicis praecipue vatibus concessa, multa quae spectant ad primam, cujus nullum extat exemplar, ea praesertim omnia, quae ad Romanum iter a Francisco cum undecim sociis susceptum, ad visiones, ac demum ad summum Pontificem Innocentium, transtulit in ultimam; sed isthaec narratio habetur in proximo libro.*

In editione Fulginati Franciseiados, quam prae oculis unam habemus, signata sunt ad libri oram ejusdem Regulae capita, a I. usque ad X., ut quodque caput deinceps a poeta pertractatur. Nos ergo, ut lectorum, et maxime religiosorum hominum utilitati consulamus, aliquid de hujusce regulae capitibus, sobrie tamen, attingemus. Poeta vero fusius multo haec tractat, quam sanctus Patriarcha; et plura adnectit, quae decerpsisse putamus ex illis, qui commentationes in Regulam divi Francisci conscripsere.

117 — 167. *Pertractat poeta ea, quae in secun-*

ula *Regula brevissime conscripta sunt. C. I.* nempe de observantia eorum, quae in Evangelio praecipiuntur, de tribus votis, deque obedientia, et reverentia, quam debent Fratres Summo Pontifici, atque uni totius ordinis ministro.

168 = 252 *Vide C. II., ubi agitur* de iis, qui in Ordinem sunt recipiendi.

253 = 363. *V. C. III., quo agitur* de divino officio, et jejunio, et quomodo Fratres ire debeant per mundum.

*A. v. 272. usque ad v. 280. legitur egregia paraphrasis Dominicae Orationis, quam etiam Italici poetae nonnulli nobilissimis versibus incluserunt: quos inter praecipue enumerandi videntur summus Aligherius, qui ab illa incipit C. XI. Purgatorii, et Peregrinus Salandrius, qui illam expressit Italico epigrammate ejus generis, quod nuncupatur S*onetto.

321. Quae trudit noni mensis lux prima kalendas. *Indicat mensem novembrem, qui nonus est a martio, unde Romanis annus exoriebatur. Ab illius mensis kalendis incipere debet ex regula primum magnum jejunium, quod producendum est usque ad diem natalem Divini Reparatoris. At v. 316. loquitur poeta de altero jejunio, item quadraginta dierum, quod a festo Epiphaniae suscipiendum est, sed sponte, non jussu: versibus autem 342 = 3. praecipitur jejunium singulis totius anni sextis feriis: quae omnia habentur in hoc capite III.*

359. *Versus factus ad exemplum Virgilii:* Et bene apud memores veteris stat gratia facti. *Aen. IV.* 539.

364 = 424. *Consule C. IV.* Quod Fratres non reci-

piant pecuniam. *Hic Maurus, versibus* 384=6, Haec etiam *(paupertas)* stabulis.... Avertat nostris pecuaria cuncta necesse est, *praelibat nonnulla ex penultima regula, quae in postrema non leguntur. In illa namque, C. XV., haec occurrunt :* Nullo modo apud se, nec apud alium, et aliquo modo bestiam aliquam habeant *(Fratres mei, tam Clerici quam Laici)*.

425 = 462. *Hic ea continentur, quae habet C. V;* De modo laborandi.

463 = 548. *V. C. VI.;* Quod nihil sibi approprient Fratres, et de eleemosyna petenda, et de Fratribus infirmis. *Versu* 485 *:* ne proli (posthuma quondam etc.). *Verbis his prolem quae posthac aliquid possideat*, posthumam *appellat, quod nempe veros Francisci imitatores eos autumat poeta, qui unice adament paupertatem. Vide Ann. ad v.* 412=18. *L. IV. Sed a v* 508. *ad* 527. *legitur pulcherrimus hymnus in laudem paupertatis, quem aptissime poeta tribuit Francisco, qui et hymnos cecinit, et paupertatis sponsus vocabatur. Locus ille* : Summo tu denique malo etc., *diductus nobis videtur ex Aligherio, quem, si placet, consule, notrasque in eum locum commentationes, N. VI.*

549 = 618. *Pertractat poeta ea, quae leguntur in C. VII.,* de Poenitentia Fratribus peccantibus imponenda.

619 = 697. *Hoc loco Maurus complectitur quae praecipiuntur et Capite VIII.* de electione Generalis ministri *etc; et C. IX.* de praedicatoribus.

698 = 796. *V. C. X.,* de admonitione, et correctione Fratrum, *cujus hic noster est fidus interpres.*

797 = 833 *Consule C. XI.*, Quod Fratres non ingrediantur monasteria Monacharum.

820. Tertia Acidaliae Divae commenta. *Qui sensus hic lateat non obscurum est, si quis hujus XI. capitis verba attente consideret, ubi I. praecipitur*, ne Fratres habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum; *II.* ne ingrediantur monasteria Monacharum; *III.* ne fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres, vel de Fratribus scandalum oriatur. *Commentum hic in malam partem. accipiendum est pro mala fictione, dolo, vel fraude. Hoc ultimum ergo est tertium Veneris commentum, idest tertia fraus, qua sub pietatis, et religionis specie, Francisci sodales Venus in sua retia trahere studebat.*

834. *Consule C. XII. et postremum; cujus titulus est:* De euntibus inter Saracenos, et alios infideles. *Duo postremi versus habent aliquid simile Virgilii in tribus postremis L. III. Aen. versibus, in quibus poeta suam ipse concludit narrationem, postquam Aeneas tamdiu Deorum fata, suosque cursus docuerat.*

ANNOTATIONES IN L. VII.

A 1. *versu usque ad* 154. *describitur Daemonum concilium, quod advocatur, ut Francisci incoepta frustra sint. Hoc loco poeta decerpsit nonnulla ex VI. Aen. aliqua etiam ab Aligherio; sed integram imaginem hausit praecipue ex L. I. v.* 121=235. *Christiados Hieronymi Vidae: ex quo nobis videtur et magnus ille Torquatus Tassus hausisse pulcherrimam concilii ab Inferorum rege habiti descriptionem (Ger. Lib. C. IV. St.* 1. *e seg.), qua caeteros omnes superavit.*

139 = 154. *Imitatio haec est manifesta Virgilii,*

apud quem, Aen. L. VII. v. 323 = 571., *Alecto, Junonis impulsu, furorem suum primum in reginam Amatam, deinde in Turnum, Rutulorum regem, ac postremo in Latinos agricolas, Teucrosque immittit; ubi ea quae ad Turnum spectant (v.* 445. *) prae aliis omnibus poetica visa sunt Juvenali (Sat VII. v.* 66 = 71.*)*.

221. *De illis quae hic ad finem usque narrantur, diximus in prima superioris libri annotatione.*

245. Romulides nutu torquet pater optimus. Romulidum *puto legendum; namque, ut docet Morcellius (Elec. L. I. C. II. Ep. VI.)* Romulidae *sunt Romani*, Romulides *autem Romanae; ut apud Virgilium* Iliadae, *et* Iliades. Romulides *autem singulari numero non est latinum.*

272 = 308. *Totus hic locus, ubi aeternus Pater dat mandata juveni Aligero perferenda ad Summum Pontificem, quo praeparatur Francisci adventus ad urbem, petitum est a Virgilio, Aen. L. IV. v.* 221., *in quo Juppiter praecipit Mercurio quae ab illo Aeneae sint dicenda, ut ab Africa excedere maturet. Sed brevis oratio potior fuisset pro Supremi Numinis majestate, ut etiam ad v.* 486. *L. II. monuimus. Hoc loco coelestis Aligeri volatus refert perfectissime volatum Mercurii. Hic enim volans* apicem, et latera ardua cernit Atlantis duri, coelum qui vertice fulcit, Atlantis *etc; ille adspicit latera* Soractis amati, Soractis *etc. hic consistit in eo monte; ille in altero: quam nimiam in imitando diligentiam*, putidam *jure optimo cum Tullio vocabis: quamquam in hoc totam imitandi rationem plerique positam esse sibi persuadeant. Videbis hic quoque Somnum ab eodem Aligero advocari, ut L. II. ad v.* 486.

704. Geminosque vocamus coelicolas *etc.* ***Intellige** Apostolos Petrum et Paulum, quos advocat semper Pontifex maximus in apostolicis literis sub finem.*

873 = 898. *Locum hunc vetustae superstitionis indiciis adspersum, et a christiano poeta prave translatum ex X. Aen., v.* 219., *ubi Aeneae naviganti Nimpharum chorus occurit, libenter omnino expunxissem (quod ajunt Tuccam, et Varium fecisse aliquoties in Aeneida), ne pius lector indignaretur, quod Nymphae e flumine emineant in christiano poemate. Si enim* omnes dii gentium, daemonia *(Psal XCV.* 5.), *quomodo Nymphae d. Patriarchae incoepto possunt favere?*

ANNOTATIONES IN L. VIII.

v. 1 = 30. *Principium a VII. Aen. ingeniose petitum, atque in rem suam a Mauro conversum.*

31 = 142. *Describit pestiferam luem, quae tunc temporis per Italiam, et praecipue per Latium grassata est: quam descriptionem si comparabis cum illa quam habet elegantissimus Boccatius, videbis, morbi naturam non admodum inter hanc et illam differre. Sed multa hic Maurus congessit ex animalium peste, quae est in III. Georg., v.* 478., *omnibus notissima; aliqua etiam ex III. Aen., v.* 135. *De hac vero pestilentia, quod sciam, non meminerunt historici.*

181 = 89. *Locus simillimus VIII. Aen., v.* 349 = 359. ; *sed felicissime in christianum argumentum traductus.*

197. *Quis fuerit hic vates Panthiades, qui solitariam vitam in Saxo Rubro montis Subasi sanctissime agitabat, nos fatemur plane i-*

gnorare, nec potuisse usquam invenire: nisi forte dixeris, Maurum hoc nomine significare voluisse Fratem Silvestrum, cujus multae narrantur mirae visiones, et eum aliquamdiu in monte supra Asisium jugiter orationi vacasse, *atque a Francisco, propter singularem sanctimoniae famam, duobus ex sociis ad illum missis, de divina voluntate erga se exploranda consultum fuisse, memorat d. Bonaventura, C. XII.*

Totus hic liber episodium continet, in quo tamen Francisci poeta non obliviscitur. Nam Vates in visu audit ab Unigena et illum memorari, orantem, ut Deus a mortalibus dirum averteret morbum, et postea in peplo ejus quoque imago conspicitur. Quamquam, ut dicam quod sentio, quum hic opportuna occasio se offerret ostendendi, qua Franciscus charitate in Deum, atque in homines flagraret (nam saepissime elephantiasi praesertim affectis, quae pestis illis temporibus erat communis, opera et solatium praebuerat), nollem nunc Franciscum ad coelum supplices tantummodo manus tendentem videre.

400 = 561. *Placet haec pepli fictio, quam ex Virgilio aptissime in rem nostram translatam judicamus, ut videre est Aen. I.* 483=5, *et XI.* 477. *Fortasse Maurus, per temporis anticipationem, vestem aliquam describit, quae suo aevo vel Asisii, vel alibi fuerat acu picturata. Hujusmodi vestes, et matronarum etiam pompae, ex vetusto christicolarum more, maxime in sanctissimae Deiparae honorem jure optimo fieri consueverunt, et a christiano poeta commodissime describuntur. Matrum orationem* (557 = 561.) *egregie imitatam vi-*

debis ex illa, quam Latiae matres habent apud Virgilium, Aen. XI. 483 *; cujus breviloquentiam egregie imitatus est Tassus (G. L. C. XI. st.* 30. *).*

460. Ostendens Cisseida canis. *Nempe aequaeva Hecubae, Priami uxori, quae filia Cissei.*

665. *Hic quem Maurus vocat* Lyaenon, *est B. Leo, comes divi Francisci, eique acceptissimus; cujus etiam vitam perscripsit una cum Rufino, et Angelo, sociis B. Patriarchae, quae communiter appellatur* Legenda trium sociorum, *a nobis saepius memorata.*

742. *usque ad finem. Orationem Divi Francisci Aretii habitam in templo majori, cum annua vota dd. Filippo et Jacobo Apostolis die eorum natali solvebantur, non a poeta prorsus confictam arbitramur, quum constet ex historia, illum plerasque Italiae regiones, et praecipue Hetruriam saepius peragrasse, atque salutaria virtutis monita quacumque disseminasse; quod, ut diximus, suae conversionis initio, epistolis ad universos Christi fideles datis, jam fecerat.*

ANNOTATIONES IN L. IX.

24 = 420. *Agit de conversione Orandi Comitis, quam noster Aretii accidisse narrat. Multa hic videbis quae in historicis non invenies, quippe efficta a poeta non sine venustate, ac poetica probabilitate. Nec displicet tam multis verbis produci hanc narrationem de Orando, cui cum Francisco tanta necessitudo intercessit ab eo tempore, quo efficacissima ejus oratione permotus, totum se vitae pientissimae dedit; qui Franciscum Lavernae monte donavit; eique humiles casas in illo exstruendas curavit, ubi majori ad-*

miratione digna Francisco evenerunt.

252 = 268. *Quae hisce versibus includitur sententia, deducta est manifesto, sed fusius expressa, ab illis Aligherii (Purg. C. XIV. v.* 148.):

Chiamavi il Cielo, e intorno vi si gira,
Mostrandovi le sue bellezze eterne:
E l' occhio vostro pure a terra mira?
Onde vi batte chi tutto discerne.

367 = 70. *Hic poeta se ipse per Franciscum significat, et laudat: quod fecisse sub aliorum persona Virgilium, et Aligherium, nemo profecto mirabitur.*

434 = 39. *Noctis descriptio ab adiunctis, ut Rhetores dicunt, et omnino petita ab ea quam habet Virgilius absolutissimam, Aen. IV., v.* 522 = 32. *Sed quod amoenissimam illam descriptionem gratiorem facit, nempe rerum oppositio, propterea quod, dum universus terrarum orbis quiescit, una Dido curarum fluctibus aestuat, hic non adeo lectoris mentem percellit. Vocabulum autem* gressigerum, *quod poeta a* gressus *et* gero *de suo capite protulit, cum ei Virgilius pulcherrimam vocem* quadrupedum *praeberet, improbare, ut caetera hujusmodi, debemus; quamvis illo Maurus et omnis generis animalia, et homines simul complecteretur.*

448 = 474. *Describit visum, quo dormienti Francisco, et longum iter cogitanti, apparet Sanctissima Deipara, jubetque illum redire ad Subasum, eoque advocare universi coetus comitia. Qua fictione, opportune admodum inducta, praeparatur lector artificiose ad ea, quae poeta proximo libro narraturus est.*

585 = *ad finem. Pars libri hujusce plura habet quae*

quae poetica admodum, atque poematis scopo consentanea nobis videntur: apparitio nempe d. Michaëlis, quum sese Franciscus ad ejus templum in Gargano monte exstructum, omniumque celeberrimum, devoti animi ergo, sese conferebat; et visio Crucis in eo delubro coelo delapsae, ex qua impendentia fata Franciscus portendit.

Sipontum advenienti Francisco occurrit ad urbis portam Euphrosius quidam, illum videndi percupidus, qui advenas in suas aedes perducit, oratque postea Franciscum, ut postero mane, qui dies erat natalis Virginis Deiparae, verba in ejus delubro ad populum haberet, et huic salutares monitus daret. De Euphrosio nihil in historicis invenimus; sed hujuscemodi res peregrinanti Francisco saepissime occurrisse conspeximus. Orationem autem (a v. 886. usque ad. 978.) effictam a poeta ex verisimili, ut alias monuimus, atque ad eum finem, quem sibi divina Providentia in eligendo Francisco proposuerat, ut nempe Christicolas ad virtutis amorem revocaret, nemo non videat.

707. Auspicibus Deis. *Nollem hanc, et alias hujuscemodi, quae passim occurrunt, locutiones, veteris superstitionis indicia, conjectas in carmen christianum, a quibus Maurus ipse se abhorrere profitebatur.*

750. Sypus, *vel* Sipus, *saepius* Sipontum, *urbs Apuliae Dauniae, quae saeculo eodem excisa fuit; sed a Manfredio rege, Friderici II. notho, apud eandem extructa fuit, quem dicta a fundatore Manfredonia, vel novum Sipontum.*

850 Amor iniquus. Iniquus *pro maximo, et in bonam partem acceptum, latinum non puto.*

Virgilius iniquam *dixit Junonem (Aen. VIII. v.* 292*), et Palladem* non aequam *(I. v.* 483*); quae vox idem sonat ac altera, minus tamen quam* injustam, *et nos italice interpretari possumus* indiscreta, *sed semper in malam significationem.*

ANNOTATIONES AD L. X.

Hic liber partim continet Francisci orationes vel ad suos, quos invisit, vel ad populos, quos inter coelestis vitae praecepta disseminabat; partim enumerationem eorum qui Asisium ad comitia convenerunt. De Tancredio, quem primum in Siciliam coetum indigorum intulisse Maurus affirmat, eique aucto quamplurimis sociis praefuisse, cum eo Franciscus advectus est, nihil aliud inveni, nisi eum a d. Patriarcha inter suos adscriptum fuisse. Sed Franciscum, ut populos divinis praeceptis imbueret, peragrasse Dauniam, Apuliam, Brutium, Campaniam, atque in Siciliam ad suos transmisisse, historicae veritati consentit.

Quod autem pertinet ad haec universi Franciscalis coetus comitia, quae materiam et proximo praebent libro, si lector quaerat quo tempore habita sint, respondere non non dubitamus, nullum his certum tempus posse constitui: plura enim, more suo, Maurus in hunc locum congessit, quae ad multa spectant comitia. Et revera si numerum expendas eorum, qui non modo ex Italia, sed etiam ex Gallia, Hispania, et Lusitania convenere, videntur haec fuisse comitia habita anno MCCXIX., quibus sodalium quinque millia, et amplius adfuisse dicuntur,

et vulgo nuncupantur Capitolo delle Stuore; *quod confirmare poeta videtur postremis hujusce libri verbis = et juncea tecta silescunt, et v.* 25 = 28. *L. XII. Quem tamen numerum excedere quam longissime veritatem, invitis veterum historicorum auctoritatibus, evincit, mea sententia cl. Papinius (T. I. p.* 185.). *Primis tantummodo Franciscalis sodalitii annis, cum pauca numerabantur coenobia, omnes ad Subasum, et bis singulis annis Fratres coibant: at postquam in provincias ordo distributus est (quarum in Italia jam A. MCCXIX. octo numerabantur, hisque paulo post quatuor ultra montes et maria adjectae sunt) ut pauci sodales ex quaque provincia ad concilium mitterentur, legibus fuit constitutum. Hic tamen Maurus omnes pene ex omnibus provinciis sodales longo ordine gradientes convenisse narrat Asisium; quod rei veritati omnino repugnat. Nominat etiam proximo libro Jolliam, scilicet Fratrem Eliam, quem Franciscus in suum locum suffecit, quod A.* 1222. *contigisse demonstrant Papinius, et Affò, quum vita functus fuisset Petrus Cattanius, qui Francisci gesserat vicem. Sed quamvis alteri vigiliam suam tradidisset Franciscus, seque Generalatu abdicasset, nihilo minus utrique ejus Vicarii habiti sunt, vivente Francisco. Et revera Elias, A.* 1232., *coetui regundo praepositus est; et tertius a Francisco, nempe post Antonium Parentium, Minister Generalis adnumeratur. Pleraque tamen eorum quae a Mauro memorantur, pertinent ad comitia A.* 1223. *; sed poetica, ex more, utens licentia, quod jam in legibus quas pluries Franciscus suis dederat cf-*

fecit (Vide 1. ann. L. VI.), hic de comitiis agens renovavit.

Hanc alteram partem refertam veteris geographiae eruditione conspicies, et manifestam, Virgilii imitationem, Aen. VII. v. 641., *et X. v.* 163., *in quibus Romanus vates agmina enumerat, eorumque duces, qui vel pro Latinis vel pro Trojanis ex universa Italia convenerunt; quam imitationem, si majorem quam coeterae omnes a poeta laborem expressisse dixeris, a veritate non aberrabis; sed coeteris esse minus felicem, descriptionemque rei militaris ad rem religiosam transductam, huic nihil dignitatis addidisse, immo gravitatis et ponderis multum detraxisse, haud falso quidem judicabis.*

122. Zanclaei monstri. *Aetnam intellige, quae non longe abest a Messana, olim dicta* Zancle, *quam propterea Maurus appellat, v.* 132. Urbem Zanclaeam, *ut Virgilius pro Troja dixit* Urbem Trojanam, *Aen. IV.* 342.

201 Stellante polo. *Verbum* stello, as, *a quo est participium praesens* stellans, *activa significatione a priscis Latinis, non neutra, ut hic, usurpatur; et propterea, nulla habita ratione, improbamus.*

516 = 18. *Hic vides primo* auratam, *deinde* aureus, *et statim* aurato, auricomi, *et proxime* auricomos; *quam verborum traductionem diligenter vitabis, nisi pueriliter ingeniosum te velis praebere.*

860 = 65. *Adverte pulchram Franciscalium comitum habitus descriptionem.* Endromidas fluentes *appellat Maurus crassas tunicas, quibus Minores induuntur;* endromis enim, *qua voce utitur Juvenalis, est vestis hirsuta, villis longioribus.*

910 = 941. Virgo Bethana, *est B. Maria Magdalene, domo Bethania, quae Massiliam translata, ibi diu vixisse, et sanctissimam mortem obiisse dicitur; quare illic praecipue colitur religiosissime. Hinc est, quod Maurus illius provinciae socios commemorans, digreditur in laudes B. Virginis, eique hymnum concinit, quo virginis laudes elegantibus sane versibus celebrantur. Sed quod illam dicat, ut de Baccho Horatius, immanem draconem manu mulcentem in vincula conjecisse, hujusmodi commentum in rem christianam apte cadere nobis haud videtur.*

989. Tartessiaque arva. Tartessus *est urbs Hispaniae in ora Herculei freti, vulgo* Tariffa, *unde* Tartessia littora *apud Ovidium, Met. L. V.* Tartassium *autem, unde* Tartassius (Tartassiaque *legitur in editione Fulginati*) *est urbs Galliae in Vasconia, vulgo dicta* Tartas. *Poetam loqui de prima id nobis indicio est, quod Herculeam Calpem, a qua non longe distat* Tartessus, *jam nominavit; et hic de Iberica provincia, non de Gallica sermo est*

ANNOTATIONES IN L. XI.

Totus hic liber agit de comitiis, quorum coitionem in superiori libro narraverat. Nunc quae in iis gesta sunt, pluribus verbis commemorat, partem ab historia petens, partem de suo capite comminiscens.

1 = 8. *Periodus ex VIII. Aen., v. 1 = 6., translata est, quoad conformationem.*

91 = 102. *Hymnus in honorem Divini Reparatoris, quem aliis omnino versibus et sententiis hic repetitum, non improbabis.*

138 = 9. Jamque aethera tantum Intrepidi, obnixique

adeo perflatis anhelo Pectore. Perflare *Maurus hic usurpat metaphorice, nullo veterum exemplo; namque apud illos semper adhibetur vel pro* flare ubique, *vel pro* valde flare. *Hic sensus est: nihil aliud nisi coelestia, mente vel corde agitatis. Adfinem huic locutionem invenies, v.* 428.: et adhuc nos tristis inertes Torpor habet? nec tanta animis afflamus anhelis Munera? *Hoc est ab illo Virgilii*: et me saevus equis oriens afflavit anhelis; *Aen. V.* 739., *ubi tamen* afflare *propriam habet significationem.*

180 = 203. *Alter hymnus, sed praecativus, in Divini Spiritus laudem, vel potius paraphrasis ejus hymni quem canit Ecclesia, quique incipit:* Veni, Creator Spiritus.

225 *et* 230. *Intellige primo loco coetus monachorum, qui a primis Ecclesiae saeculis, secundo coetus religiosorum hominum, qui recentissime fuerant instituti. De his vide Ann. VIII. in Aligherii hymnum (v.* Ma regalmente ec.*).*

227 =8. Ministerium tenui cum nomine magnum. *Ludit in nomine, quo dictus est provinciae, vel coetui universo praepositus, diducto a* minus, *ne ille videlicet Christianae humilitatis oblivisceretur, ex illis Evangelii verbis:* qui prior est, fiat sicut minister.

384 = 7. Supremum Heroa . . . comitumque sequentem Undenum aciem. *Intellige Apostolum Petrum cum undecim sociis, qui primum Evangelicam paupertatem secuti sunt.*

427 = 29. *Sententiam videas optime expressam ex illo Virgilii, Aen. VI., v.* 806: Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis? *Quam etiam noster Aligherius, sed ut maximum vatem decet, ita transtulit:*

Vedi se far si dee l' uomo eccellente,
Sì ch' altra vita la prima relinqua. *Par. IV.* 42.

523. Namque etsi, etc, *usque ad v.* 537. *Eleganter profecto transfert poeta ad vivendi rationem quam incoeperant d. Francisci sodales, id quod ait Virgilius, agricolarum vitam commendans (Georg. L. II, a* 461. *ad* 471). *ex quo loco, ut initio hujus libri, et periodi formam Maurus perbelle imitatus est, quod raro ferme accidit, cum aliorum insistimus vestigia; et tamen, quod puerile admodum est, in hoc tantummodo re communiter Rethores classicorum imitationem constituunt.*

539 = 557. *Iterum poeta laudes concinit paupertatis, quod fecit et L. VI.; sed versibus* 517 = 9. *eamdem repetit sententiam, quam nos ex Aligherio deductam judicavimus. Attamen quod toties Franciscus suis paupertatem praecipiat, mirandum non est, quum ejus, ut inquit B. Thoma de Celano,* sese maritum vocaret, atque hanc filiis suis diceret perfectionis viam, hanc aeternarum divitiarum pignus, et harram *(Vita Altera, pag.* 174., *Cap.* De paupertate*).*

686. Et pandis taurorum lancibus exta Tosta subingerere. *Vocabulum* subingerere, *ex* sub *et* ingero *usurpatur a Mauro, nescio quo exemplo; nam Festus ex Passeratii observatione, utitur quidem ea voce, sed alio prorsus sensu. At hujusmodi convivium graphice a poeta describitur, et poetico mirabili adornatur. Si rei descriptionem nullo apparatu factam, et nihilominus suavissimam legere velis, adi libellum, cui titulus:* Fioretti di S. Francesco, *C. XVIII.*

1 = 12. *Iterum poeta Famam inducit, nec tamen improbamus, quamvis eam supra descripserit, L. II. v. 477 = 85. Hic etenim poetice narrat, Pontificem Maximum certiorem factum de mirabilibus rebus, quae in coetus Subasaei comitiis evenerant; hoc nuncio permotum, et hominum inopiam miseratum, artificum manum misisse Asisium, quae delubrum ingens Coelorum Reginae, atque delubro proxima tecta ad excipiendos Francisci sodales, quam celerrime extrueret. Sed animadvertendum, haec per prolepsim narrari; namque ad Gregorium IX. P. M., qui antea Cardinalis Ostiensis dicebatur, ejusque patrocinio utebatur praecipue Franciscus, pertinent haec jussa; tantaeque rei procuratio Frati Eliae commissa fuit.*

30 = 35. *Intellige aedem B. Virginis, quae nuncupatur* Portiuncula, *apud quam Minores primo habitarunt; quamque Deiparae prae aliis omnibus ei dicatis templis carissimam esse S Patriarcha divinitus cognoverat.*

126 = 34. *Imitatur eleganter Virgilium, qui caesas arbores ad extruendam Miseno pyram describit, Aen. VI. 179=83. Sed noster opportune rem ab arboribus ad saxa, lapidesque traduxit.*

389 = 90. *Sententiam expressit ex Lucano, qui de Magni Pompei corpore in Aegyptio litore jacenti ait:* coelo tegitur qui non habet urnam; *quae sententia, si eam expenderis, nihil magni praesefert, ut primo adspectu videtur: nam etiam vilissimorum brutorum insepulta cadavera coelo teguntur.*

398 = 622. *Haec non brevis hujusce libri pars pulchram exhibet Virgilii imitationem, cujus celeberrimum est episodium, Lib. VIII. Aen.* 185=275.; *quo inter sacra quae in Herculis honorem faciebat, Evander rex hospiti Aeneae memorat, quomodo Alcides latronem Cacum necaverit. Sic Orandus Comes (nempe Orlandus Catanius, Clusii Comes, Eques splendidissimus) prosecutus Franciscum, ejusque socium Leonem, Lavernam petentes (cui monti nomen dedit* Laverna, *quae a coecis idolorum cultoribus ut latronum Dea colebatur, sed vulgo dicitur* Alvernia, *vel* La Verna*) commonstrat Francisco rupem, in cujus antro habitabat insignis latro de gente Sarmatica, qui propter immania scelera, patria profugus, eo secesserat: inde noctu in proximos agros impetum faciebat, nefariaque crimina perpetrabat; qui tandem, quum illuc venatum cum aliis multis ivisset Guidus quidam ex patritia Aretinorum nobilitate, ab ejus canibus horrendum in morem discerptus est. In hac descriptione nihil me offendit; nisi longior canum enumeratio, qui latronem adgrediuntur.*

481. Visceribus solitum humanis, et sanguine vesci. *Est ab illo Virgilii, Aen. III.* 622., *ubi ait de Poliphemo:* Visceribus miserorum, et sanguine vescitur atro. *Complures hujusmodi versus, hoc maxime libro, atque etiam sententias a Virgilio petitas, passim reperies.*

710 = 738. *Die annuo redeunte, quo Crucis signum impensius Christicolae venerantur, sanctissimo hominum Reparatori hymnum concinit poeta, jam tertium; quem tamen huic loco idoneum arbitramur. Eo enim poeta tec-*

torem disponit ad illa, quae prae omnibus admiranda in postremo carmine de Francisco est narraturus; videlicet Christi vulnera, quae illi in corpore jam jam divinitus erant infligenda. Placet ergo illo die, qui a coelicolis etiam celebratur, Virginem matrem precari Unigenam, ut, ex fatorum ordine, Subasaeum heroem in antro morantem quinque telis perfodiat; placet Divinum Filium committere Aligero famulo, ut nunciet Francisco, rata jam fore quae Deipara ei praenunciaverat; placet denique Jesum ipsum apparere Francisco, eumque monere quis illi hauriendus sit dolor, interius primo, mox etiam exterius: quibus mirandis optime lector praeparatur ad ultimum facinus, quo Francisci sanctimonia insignissime decoratur.

717 .... Laceroque in veste sub ostro Aurata increpitans. Lacerum, *epitheton* ostro *tributum, fortasse* sparsum, fluens *ostrum significat; sed hoc sensu probum vocabulum non autumo.*

762. Ut vero ante patris conspectum, atque ora canentes Evasere acies. *Eleganter deductum ex illo Virgilii; Aen. II.*531: Ut tandem ante oculos evasit, et ora parentum.

814. Ostentiferi diei. *Vox ab* ostentum et fero, *nempe* ferens ostentum, *sed quam Ambrosius tantummodo inter sinceras voces adnumerat, Facciolatus, et Forcellinius ex latinarum numero extrudunt.*

ANNOTATIONES IN L. XIII.

Postremum *Franciscіados librum, de quo jure optimo adfirmatum est, continere epilogum pulcherrimarum virtutum quae in toto poe-*

mate, sparsa hac illac, conspiciuntur, nos etiam prae ceteris ornatissimum judicamus; ac nedum poetam in extrema operis parte animo non defecisse, sed et altiores spiritus sustulisse. Quae miranda de Laverna monte memorat poeta, postquam hic Franciscus Christi vulnera in suo receperat corpore, quaeque illinc Asisium iter ingrediens divinitus fecit, ea non conficta a poeta, sed ab historia desumpta.

259 = 287. *Grati animi monumentum hic praebet Franciscus, qui Orandi Comitis in se, suorumque coetum promerita quamplurima commemorat; atque haec versibus olim ut mandentur exoptat: quo in loco Maurus artificiose iterum sub d. Patriarchae persona suum poema praenunciat. Felix est* applicatio *(ut eam Rhetores nuncupant) Virgiliani versus* 625. *IV. Aen:* Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, Qui etc.*; quem Maurus, parva immutatione, sic protulit:* Exoriare aliquis nostris e coetibus olim, Orandae qui facta canas *etc. Quod si huic rei mentem adjicies, Franciscum et poesim adamasse, et hymnos nonnullos concinuisse, verisimillimum reperies quod Maurus effinxit. Versus etiam* 287. *est ab illo Virgilii: Et* nati natorum, et qui nascentur ab illis *(Aen. III.* 98).

319=24. *Pulcherrima similitudo, et pathos plena, aptissima ad rem exprimendam. Duo in hoc libro ex praecipuis Francisci miraculis commemorantur: cum nempe a monte Laverna jam infirmus, et morti proximus, ad Subasum revertebatur; alterum, quo hydropicus a medicis desperatus ad integram subito sanitatem ab ipso est revocatus, quod acci-*

dit prope Fanum d. Stephani ; quam urbem appellat poeta coronam aetheream , *quod nempe* stephanos , *greca vox , latine* coronam *significat , idque oppidum Italice vocatur* Pieve di S. Stefano , *ubi Franciscus ab Orando Comite amicissime , et religiosissime exceptus est (hujusce rei narrationem habes a v.* 327. *ad* 370 *): alterum quo , iter prosequens, puellam a daemonibus saevissime vexatam , precibus ad Deum fusis , liberavit , quod contigit non longe a Fano S. Sepulchri ; quod italice appellatur* Borgo S. Sepolcro. *Haec altera narratio producitur a v.* 376. *ad* 500. *Utraque autem elegantissima .*

402. Terricrepis facibus ; *et v.* 410. , fragores Terricrepos coeli. Terricrepus , *idest* cum terrore crepans , *epitheton fulminis , ut ait Forcellinius sed a sinceris procul amandanda , quae tantum a sequioris aevi scriptoribus usurpatur , eo tamen sensu , quem habet vox* terribilis, *ut hic etiam secundo loco adhibetur. Cur saltem primo non usurpavit aptissimam, pulcherrimamque Virgilii vocem* thuricremis *(Aen. VI. 553.) ?*

518. Turrita ab urbe. *Perusiam intellige.*

Iter facienti Francisco varios poeta tribuit sermones de rebus ad morum scientiam spectantibus , et convenienter admodum , ut ego sentio. Namque optime decebat , virum sanctissimum, quem Divina Providentia constituerat ut homines ad virtutis tramitem revocaret , verae virtutis effigiem propemodum effingeret , eam divinitus in hominum animis impressam esse, et a falsa sinceram virtutem segregandam edoceret. Nos in hujusce libri argumento ejusmodi sermonum synopsim descripsimus.

532. Et tamen hi capiunt , gaudent, metuuntque , do-

lentque. *Versus ex Virgilio expressus, Aen. VI.* 733: Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque.

584. Achaemenio luxu. *Sic dictus ab Achaemene, quem Herodotus ait fuisse primum Persarum regem, a quo postea omnes reges usque ad Darium editi sunt. Horatius etiam, quum regem opulentissimum vellet nominare, dixit* divitem Achaemenem *(L. II. Od. XII. v.* 26.).

592. Adspicis immanem cassum? Cassus *adjective ab optimis latinis usurpatur cum nomine ablativi casus conjunctus, quippe qui oritur a* careo; *ita* lumine cassum *dixit Virgilius, Aen. II.* 85. *Sed hic* cassum *substantive sumitur, nullo veterum exemplo, qui hoc sensu* inane, vel vacuum *dicebant.*

833 = 34. *Non placet ob eam causam, quam supra adtulimus,* Parcarum *hic fieri mentionem, et postea, v.* 889 = 90., *ab eodem Francisco, ut imminentem hominibus mortem significaret, sic dici:* Stat ferrea Clotho Surdum opus intorquens, cogitque, trahitque morantes; *nec v.* 794=5: Parcas niveis pensis extrema Francisco legere stamina.

Felicissimus Francisci obitus, ejusque animae coelum ingredientis triumphus, carmini finem constituit: nihil enim reliqui est post praemium amplissimum, quo Deus O. M. optime de Christiana re meritum Patriarcham est muneratus. Verum hujus narrationis initium facit poeta a v. 683., *quo lectoris animus ad beatissimum d. Francisci exitum praeparatur. Idcirco a Mauro machina inducitur, quemadmodum in principio poematis: sed pleraque ad obitum Francisci pertinentia ex historia deprompta sunt, quamvis poetico ornatu depicta. At quod me-*

morat poeta, coelestis Aligeri monitu venisse ad Subasum matronam Romanam (quae Jacobe de Septem Soliis vulgo dicebatur), eamque, ut altera Magdalene, pretiosa unguenta ad Francisci funus adtulisse, haec veterum historicorum auctoritati haudquaquam innituntur; ex quibus tantum colligimus, fuisse pientissimam foeminam ex vetusta et primaria Romanorum nobilitate, Francisco acceptissimam; tertio ab illo constituto ordini, quemadmodum et Comes Orlandus, nomen dedisse; postremo vita sanctissime transacta, Beatorum Indigetum numerum auxisse.

842 = 910. *Sermo quem ultimum habet Franciscus ad suos, tempori, et personae apprime convenit; quia exsultat, ut par erat, de morte sibi imminente; solatur suos ob eam causam moestissimos, atque in lacrimas effusos; eisque paupertatem praecipue commendat: quae magna ex parte expressit auctor ab historia. Celanus enim, p. 268., haec habet:* Triumphum revera expectabat intrepidus, et consertis manibus justitiae complectebatur coronam. *Deinde eodem capite:* Fecit fratres omnes assistentes ibidem ad se vocari, et verbis consolatoriis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem; de patientia, et paupertate servanda sermonem protraxit, caeteris institutis sanctum Evangelium anteponens. *Caeterum Francisci invidenda hominibus mors adeo lectoribus animum explet, ut poeticis figmentis nihil indigere nobis videatur. Quod item ad libri finem ait de Francisci triumpho quem jamdiu lector expectabat ab ea, quae in coelis Aethernus Pater, et Filius Unigena invicem dixerant (a v. 697.*

ad 729.) , *petitum est ex visis religiosorum fratrum post d. Patriarchae obitum , tam a Celano , p.* 270 = 1. , *quam a Bonaventura , C. XIV.* , *memoratis. Atque utinam ut isthuc figmentum , sic alia in poemate sparsa historicae veritati uterentur, ex Horatii praecepto :* Ficta voluptatis causa sint proxima veris (*Poet. v.* 382.)! *Non aucupasset profecto Maurus a Virgilio, pluries quam opus fuerat, fictiones a re christiana remotissimas, quod aegre erit illum fecisset in extrema hujus libri parte* (*v.* 981=994.) , *ubi Francisci animam in limine vitae luctantem Christus a corporis vinculis solvit , quemadmodum Iris adstans supra caput Didonis , Aen. IV.* 693. *Quantum enim Francisci placidissimus exitus abesse debet ab ejus difficili obitu , quae violentas in sese manus injecerat !*

961 = 980. *Francisci funus describitur a Mauro ad exemplum illius , quod Miseno ducit cum Teucris Aeneas* (*L. VI. a v.* 212. *ad* 231). Corycii imbres *sunt crocus , sic dictus a monte Coryco in Cilicia , qui plurimum et optimum gignebat.* Cinyreidos guttas *intellige Myrrham, quae Cinyrae filia, in arborem ejus nomen referentem mutata est.* Cinyreis , dos, *dicitur a Mauro hic Myrrha , ut Hecuba a Virgilio* Cisseis, *idest filia Cissei . Aen. VII.* 320. , *itidem a nostro memorata , L. VIII.* 460.

Quemadmodum initio voluminis diximus , post poematis annotamenta adjicimus B. Francisci laudes, quas in III. Aligherianae Comoediae parte canit sanctissimus Ecclesiae Doctor Thomas Aquinas , qui poetae coelos scandenti apparet in sole, ubi justa Florentini poetae commentum, ii divina visione fruuntur ,

qui terras doctrinae splendore illustrarunt. Ne autem extranei lectores, in quorum manus fortasse hic veniet liber, hoc poetico munere careant omnino, dabimus hymnum Aligherii latinis versibus redditum a Carolo Aquinate, Societatis Jesu Sacerdote.

Fani 10. *Aprilis* 1833.
IMPRIMATUR
P. D. DEANGELIS VICARIUS GENERALIS

Fani 15. *Aprilis* 1833
IMPRIMATUR
Fr. JOSEPH MARCELLINI Gnus Min. Cnlium.
et Vic. S. Officii Fani.
VISTO
DEODATO ROSA Governatore Distrettuale di Fano

INNO

DI

DANTE ALIGHIERI

IN LAUDE DEL PATRIARCA

S. FRANCESCO D'ASSISI

COMMENTATO E RAGGUAGLIATO

COLLA

FRANCISCIADE DEL MAURO

DAL CANONICO

RAFFAELE FRANCOLINI

DA FANO

PROFESSORE D' ELOQUENZA NEL SEMINARIO DI SENIGALLIA

INNO

DI DANTE ALIGHIERI

IN LODE

DEL PATRIARCA S. FRANCESCO

D' ASSISI

(Vedi Divina Commedia. Par. C. XI, v. 28.)

V. 1. La providenza, che governa il mondo *V. N. I.*
Con quel consiglio, nel quale ogni aspetto
Creato è vinto pria che vada al fondo;
4. Però che andasse ver lo suo diletto
La sposa di colui, che ad alte grida
Disposò lei col sangue benedetto,
7. In se' sicura ed anche a lui più fida,
Duo principi ordinò in suo favore,
Che quinci e quindi le fosser per guida.
10. L' un fu tutto serafico in ardore, *V. N. II.*
L' altro per sapïenzia in terra fue
Di cherubica luce uno splendore.
13. Dell' un dirò, perocchè d' amendue
Si dice l' un pregiando, qual ch' uom prende,
Perchè ad un fine fur l' opere sue.
16. Intra Tupino, e l' acqua, che discende *V. N. III.*
Del colle eletto dal beato Ubaldo,
Fertile costa d' alto monte pende,

19. Onde Perugia sente freddo e caldo
Da Porta Sole, e dirietro le piange
Per greve giogo Nocera con Gualdo.
22. Di quella costa, là dov'ella frange
Più sua rattezza, nacque al mondo un sole,
Come fa questo talvolta, di Gange.
25. Però chi d'esso loco fa parole *V. N. IV.*
Non dica Ascesi, chè direbbe corto,
Ma Oriente, se proprio dir vuole.
28. Non era ancor molto lontan dall'orto, *V. N. V.*
Ch'e' cominciò a far sentir la terra
Della sua gran virtude alcun conforto.
31. Chè per tal donna giovinetto in guerra
Del padre corse, a cui, com'alla morte,
La porta del piacer nessun disserra:
34. E dinanzi alla sua spirital corte,
Et coram patre le si fece unito;
Poscia di dì in dì l'amò più forte.
37. Questa, privata del primo marito, *V. N. VI.*
Mille e cent' anni e più dispetta, e scura
Fino a costui si stette senza invito!
40. Nè valse udir che la trovò sicura
Con Amiclate al suon della sua voce
Colui, ch'a tutto il mondo fe' paura:
43. Nè valse esser costante, nè feroce;
Sì che dove Maria rimase giuso,
Ella con Cristo salse in su la croce.
46. Ma perch'io non proceda troppo chiuso,
Francesco e povertà per questi amanti
Prendi oramai nel mio parlar diffuso.
49. La lor concordia, e i lor lieti sembianti *V. N. VII.*
Amore e maraviglia, e dolce sguardo
Faceano esser cagion de' pensier santi;

52. Tanto che il venerabile Bernardo
Si scalzò prima, e dietro a tanta pace
Corse, e correndo gli parv'esser tardo.
55. O ignota ricchezza, o ben verace!
Scalzasi Egidio, e scalzasi Silvestro
Dietro allo sposo; sì la sposa piace.
58. Indi sen va quel padre e quel maestro *V. N. VIII.*
Con la sua donna, e con quella famiglia,
Che già legava l'umile capestro.
61. Nè gli gravò viltà di cuor le ciglia,
Per esser fi' di Pietro Bernardone,
Nè per parer dispetto a maraviglia;
64. Ma regalmente sua dura intenzione
Ad Innocenzio aperse, e da lui ebbe
Primo sigillo a sua religïone.
67. Poichè la gente poverella crebbe
Dietro a costui, la cui mirabil vita
Meglio in gloria del ciel si canterebbe;
70. Di seconda corona redimita
Fu per Onorio dall'eterno Spiro
La santa voglia d'esto archimandrita.
73. E poi che per la sete del martiro, *V. N. IX.*
Nella presenza del Soldan superba
Predicò Cristo, e gli altri che 'l seguiro;
76. E per trovare a conversione acerba
Troppo la gente, e per non stare indarno,
Reddissi al frutto dell'italica erba.
79. Nel crudo sasso intra Tevere, ed Arno
Da Cristo prese l' ultimo sigillo,
Che le sue membra du' anni portarno.
82. Quando a colui, ch'a tanto ben sortillo, *V. N. X.*
Piacque di trarlo suso alla mercede,
Ch'egli acquistò nel suo farsi pusillo;

85. Ai frati suoi, sì com' a giuste erede,
Raccomandò la sua donna più cara,
E comandò che l'amassero a fede:
88. E del suo grembo l'anima preclara
Muover si volle, tornando al suo regno,
Ed al suo corpo non volle altra bara.
91. Pensa oramai qual fu colui, che degno *V. N. XI.*
Collega fu a mantener la barca
Di Pietro in alto mar per dritto segno:
94. E questi fu il nostro patriarca:
Per che qual segue lui com'ei comanda,
Discerner puoi, che buona merce carca.

HYMNUS
EX ITALICA IN LATINAM LINGUAM
HEROICIS VERSIBUS CONVERSUS
A CAROLO AQUINATE
SOCIETATIS JESU PRESBYTERO
QUI TOTUM DANTIS POEMA LATINE REDDIDIT.

Provida consiliis (1) *mens Regnatoris Olympi,*
Quam sibi diffuso quaesivit sanguine sponsam,
Nimirum genus electum, domus utraquae Phoebi
Qua surgit, late regnans, pietatis amorem,
Et recti studium mansurum ut servet in aevum,
Heroes legit geminos ab origine rerum;
Qui fido incertum regerent moderamine: coetus
Aemulus aligeri fuit alter, Numinis ardens
Quem magis urit amor; coelestes alter Ephoebos
Exprimit, uberiora patent queis lumina mentis.
Alterius laudes nitar dum promere, laudes
Prosequar alterius; namque arridere Tonanti,
Et rectum vitae sociis ostendere callem,
Una duos aequo tenuit cura impigra voto.

(1) Versus, qui praecedit, clauditur adjectivo *profundis*, qui pertinet ad nomen consiliis, a quo incipit latina periodus; sed ille minime refert sublimissimam italici vatis imaginem, ut videre est in prima annotatione.

Suetus ubi duris colit arva laboribus Umber,
Mons amnes inter geminos nemorale cacumen
Nubibus assurgens infert: qua semita ducit
Mollior ad clivum, bene natam sustinet urbem,
Moenia quae notat ad solem Perusina ruentem.
Felix terra novo tribuit cunabula Soli,
Gangis ut exoritur nitidis, quem cernimus, undis... (1)
Ille salutares primo diffudit ab ortu
Virtutum radios, durum expugnare parentem
Magnanimus, votis adversum ardentibus, almae
Dum sobolem egregiam sociali foedere pugnat
Fungi heroinae, fatui vehementius ipsa
Mortales quam morte timent. Desponsa tenaci
Illa tamen demum nexu, cum rite sacerdos
Adstaret, vitae testis, custosque sacrorum
Antistes: Sponsae simul et crescentibus annis
Crevit amor; dulces mors unica solvit amantes.
Praesidio sat tuta suo licet illa Gradivi
Riserit arma, leves placido cum pectore casses,
Caesarea pulsante manu, sarciret Amyclas;
Et quamvis firmas celsa ad molimina vires
Spondeat, ausa crucem conscendere, nudaque Sponso
Sidereo jungi; lacrimis cum tristis amaris,
Haereret defixa solo moestissima Mater;
Tantis fulta tamen meritis, post funera prolis
Divinae viduo jacuit male nota recessu,
Assisias cupidis donec complexibus illam
Stringeret, ingenui testatus cordis amores.

(1) Quare hic tres versus italicos Aquinas vertere omiserit, vide ann. IV, v. 23-27. Liceat nobis hunc locum supplere:

Ergo qui de illa loquitur, totam exprimat ut rem,
Non proprie Assisium, ast orientem nomine dicat.

Ne te suspensum ambiguo sermone fatigem,
Quem dixi sponsum, Franciscum concipe, sponsae
Nomine paupertas tibi sed generosa recurrat.
Mira fides, blandi obtutus, atque ardor amoris
Mutuus, et laeto ridens concordia vultu,
Allexere novos sacra ad vexilla sodales.
Hinc pede nudato, stimulis ardentibus actus
Convolat angustas primum Bernardus in aedes,
Aegidiusque simul, simul et Silvester, et ingens
Copia Christiadum vestit se cannabe crassa,
Et nudas duro suffulcit robore plantas.
O veras, notasque parum mortalibus aegris
Paupertatis opes, non intellectaque dona!
Non proavis ille obscuram, et sine nomine gentem
Dissimulans, vilique habitu despectus, ad undas,
Tybri, tuas tendit, sociis stipatus, amictus
Quos rudis, et torti praecingunt vincula funis.
Ad Vaticani accessit cum culmina, Pastor
Romulidum, flectit qui Relligionis habenas,
Flamine divino impulsus, quas vertice leges
Procumbens prono attulerat, firmasque, ratasque
Esse dedit. Sacrum sed cum, crescentibus annis,
In latas magis usque plagas soboles ederet agmen,
Os solum coeleste sonans quod laudibus ornet
Commeritis, olli Sacrorum tradita cura,
Christiadumque gregis custodia, munere summi
Pastoris, cui fas reserare, et claudere coelum.
Ille etiam fuso testari sanguine verum
Relligionis iter flagrans, non territus oras
Barbaricas adiit: sed non reparabile nactus
Errorum grassans virus, doctaque medentis
Vulnera non superanda manu, bona semina glebis
Ne frustra indomitis jaceret, remeavit in oras

Ausonias, curas non pascere passus inanes.
Alverni demum surgunt immania saxa
Qua ripas, Tiberine, tuas, Arnique minores
Inter aquas, divinae excepit vulnera prolis,
Conspicuis impressa notis; servavit amoris
Pignoraque aetherei, nostros sublatus in orbes
Donec digna tulit demissae praemia vitae.
Progeniem affatus sociam, jam morte propinqua,
Ut colerent inopem sincero pectore cultum,
Commonuit; celsumque redux praedives in axem,
Injectae gelidos artus succedere terrae
Mandavit, nullo pompae exequialis honore.
Hinc ducis egregii liceat deprendere laudes,
Olli qui socius ventosa per aequora cymbam
Christiadum rexit, fidam defixus in Arcton.
Hesperiae hos animos gessit lux inclyta gentis,
Et nostri Ductor coetus Gusmanius Heros.
Qui faustam tanto inscendit Ductore carinam,
Quoque vocat sequitur, fluxae non foenora mercis,
Sed vehit haud umquam periturae pondera gazae.

ANNOTAZIONI SULL' INNO.

Prima di venire alla sposizione dell' Inno, crediamo di dover preoccupare alcune inchieste, che intorno al nostro proponimento far ci si possono; le quali siccome a tre per nostro avviso riduconsi, così partitamente dichiareremo 1.° perchè a così lungo poema latino abbiam giudicato ben fatto di aggiungere questo breve poema italiano; 2.° per qual motivo a questi versi tolti dall' undecimo del Paradiso si è per noi dato il titolo d'Inno; 3.° qual metodo abbiam seguito sì nelle altrui chiose, sì nelle nostre.

Quanto alla prima, due ragioni principalmente ci hanno recato a questo consiglio. Imperciocchè abbiamo stimato dover esser utile, e dilettevole insieme a quelli che amano e coltivano le buone lettere, e in ispezialtà la sacra poesia il vedere, di che guisa un medesimo argomento abbia fornito all' uno un epico poema; all' altro un episodio della sua epopea: come il primo lo abbia amplamente trattato, valendosi delle Virgiliane finzioni, e tutta compresa la vita del santo Patriarca; l' altro per l' opposito, che da Virgilio ha tolto il suo bello stile, restringa in picciolo campo la vasta materia, seguitando passo passo l' istoria in quello stesso genere di poesia, dove l' immaginazione più signoreggia; e nientedimeno dimostrisi quel valentissimo poeta ch' egli è. Ma l' incarico, che, a fine di soddisfare alle oneste preghiere dei nostri amorevoli, ci siamo di buona voglia tolto, d' illustrare, per quanto era da noi, la Francisciade, come ci ha cresciuta l' ammirazione pel sovrano italico poeta, il quale abbiam veduto

avere dalla istorica verità saputo trarre le sue maggiori bellezze; così ci ha fatto conoscere, che alcuni suoi concetti ed espressioni nè state erano per gli antichi, nè pei moderni spositori ben chiarite, e che perciò le avevano anzi alcuni fuor di ragion ripigliate. Il perchè coll' aiuto delle vecchie cronache, le quali per cagione della Franciseiade abbiamo dovuto cercare, entrati siamo nella speranza di poter per questa almeno, sebbene picciolissima parte, arrecare alcun lume alla Divina Commedia; la qual cosa non è meraviglia che non abbiano potuto compiutamente fare quei valentuomini, che tutto quanto il vastissimo poema dell' Alighieri impresero a commentare.

Ma che abbiam dato il titolo d' Inno a questi pochi versi della Dantesca Epopea, non dovrà riuscir nuovo a chi ponga mente, che questa picciola parte distaccata dal tutto costituisce dipersè un perfetto poema; e che l' Epopea delle poetiche forme più ampla, e più dignitosa, in sè tutte le racchiude, come quella che le altre, eccetto la lirica, ha generate. Ma oltrechè inni propriamente si appellano le lodi di Dio, e di quelli, che a lui sono singolarmente diletti, (il che bastar dovrebbe, perchè questi versi, da sè considerati, sieno intitolati Inno) Dante ha veramente introdotti nel suo epico poema più inni, seguitando in parte Virgilio, il quale uno ne ha principalmente posto nell' VIII dell' Eneida (v. 285-302.) in lode di Ercole; di che abbiam toccato nelle note alla Franciseiade, (L. VI, ann. v. 463) dove se ne vede la imitazione. E avvegnachè le lodi di Virgilio in pochi versi si chiudano, e parte abbia faccia di narrazione, parte sia posta nelle altrui labbra; e però i Retori siffatta maniera comprendano sotto una figura, per essi appellata Metabole, ossia Passaggio da persona a persona; (Vedi Longino Sublime sez. V, e XXVII) nondimeno dai più savii comentatori si dicon Inno. E qui è da ricordare, che due principali specie d' inni si assegnano dai maestri delle poetiche cose, breve l' una, e che accenna soltanto i fatti più insigni; e questa è la forma eletta massimamente da Orazio tra i profani, dai santi Gregorio e Ambrogio tra i sacri poeti; l' altra comprende un più vasto campo, a modo di panegirico; e di questa infra i gentili poeti tiene il principato Callimaco, infra i cristiani sovra gli altri antichi noi riponiamo Prudenzio e san Paolino. Il nostro Alighieri parecchi inni di questa foggia ha con bell' artificio

innestati nella sua Epopea, dei quali uno si è questo, che ora togliamo a chiosare; nè cede punto in bellezza agli altri che s' incontrano nella cantica del Paradiso, quali sono le magnifiche lodi dell' aquila C. VI., l' elogio del Patriarca S. Domenico C. XII, e in fine quello, onde ha principio l' ultimo Canto, col quale si commenda, e si prega la Vergine Madre, e che ha fornito al Petrarca l' esemplare di quella bellissima canzone laudativa e precativa ad un tempo, che comincia *Vergine bella*. Così da questo lato eziandio si aggiunge pregio di novità alla Dantesca Epopea, la quale se il dotto Mazzoni non ha potuto con due grossi volumi provare essere simigliante ai poemi di Omero e di Virgilio, dai quali in quanto alla materia, alla forma, e al moltiplice fine al tutto si dilunga, neppure al cavalier Monti è venuto fatto di persuadere, la Divina Commedia, perchè vocaboli tecnici contenga, esser poema didascalico (Proposta vol. III, par. II, pag. LXXXII). E nel vero, da mille luoghi di quella si raccoglie patentemente aver lui inteso di comporre un epico carme, e sulla più malagevole e vasta materia che altro poeta si proponesse, e con magnifico e altissimo stile; al qual lavoro quasi soprammano erasi egli venuto preparando dapprima colle Canzoni, che nella Vita Novella scrisse in commendazione di Beatrice, foggiandola come donna di virtù, e fugatrice dei vizii; delle quali canzoni egli cita nel Pg. XXIV. 51 la prima, *Donna che avete intelletto d' Amore* per ricordare il suo *nuovo stile* (il quale è una cosa col *bello stile* del I. canto), o vogliam dire il vero modo di poetare da esso trovato per primo. Ma più particolarmente alla composizion del poema si apparecchiò colle canzoni allegoriche, dove, infingendo di lodare le bellezze di Beatrice, egli commenda veracemente la Filosofia, e due ne rimembra nella Commedia (Pg. II, 112; Par. VIII, 37).

E venendo infine alle chiose, noi abbiamo in prima poste, al modo che tengono i chiosatori de' Latini Classici, le scelte annotazioni de' più famosi tra gli antichi spositori ed i moderni, dove elli dirittamente hanno ragionato; e a queste aggiunte abbiamo amplissime illustrazioni nostre, alcune grammaticali, le più istoriche o critiche, colle quali a nostro potere ci siamo studiati di tutte chiarire le cose che all' inno pertengono; per modo che, se non compiuto e perfetto, chè arditi non siamo di tanto sperare, almeno diligente comento s' abbiano gli studiosi

del sovrano poeta: sul quale questa oggimai è la ferma e costante sentenza dei savii, che chi attentamente non istudia nel divino poema, indarno aspira alla lode di gentile e reputato scrittore.

E perchè, in fatto di letterarie composizioni, il comparare insieme le cose è giudicato di molta utilità per gli studiosi; abbiamo stimato, non dover esser fuor di proposito il riscontrare a quando a quando il poema coll' inno, acciocchè meglio si vegga qual cosa manchi nell' uno, qual sia da commendare nell' altro. Per questa cagione, similmente offertoci il destro dalla materia, abbiamo a quando a quando alcuna cosa toccata dei principali punti alla Dantesca Commedia pertinenti, massimamente riguardo ai primi due canti; i quali si può dire che ne porgano la chiave per tutto quasi disvelare l'intendimento della Commedia; la quale ancora *visione*, e *sacro poema*, non senza perchè, si appella dall' autor suo. Ma questi nostri pensamenti, ovvero opinioni, che domandano una più ampia e separata trattatazione, forniranno, se a Dio sarà in piacere, l' argomento a tre ragionamenti, 1.° sopra la moltiplice allegoria della Dantesca Commedia, e in particolar modo sopra quella, che si contiene nel Prologo, e nella Protasi di essa; 2.° sopra la natura del poema di Dante; 3.° intorno al bello e nuovo stile dell' Alighieri. La qual fatica intendiamo d' imprendere a pro di quella eletta gioventù, che natura ha disposta a questi studii gentili, e al cui ammaestramento abbiamo finora spesi gli anni migliori, acciocchè ella abbia come una introduzione allo studio di questo poeta; a bene intendere il quale i più ampli comenti eziandio si trovano scarsi. Ai letterati, che molti e di grande dottrina e rinomanza hanno con amore al sommo poeta gli studi rivolti, in luogo di presumere, che per le nostre osservazioni si possa alcun novello lume apportare, indirizziamo calda e leale preghiera, perchè le nostre opinioni col loro sapiente giudicio pesando, se ragionevoli e sode le troveranno, c' incuorino alla non agevole impresa, o, dove torte e malfondate le stimino, dalla inutile e lunga fatica ci distolgano

N.B. I Comentatori antichi e moderni, de' quali abbiamo poste le chiose, o intere, o compendiate, così per dichiarare il testo, come per confutare le loro opinioni, sono i seguenti, cronologicamente annoverati:

1. L'Ottimo, cioè l'ottimo Comento della D. C., Testo inedito ec. stampato la prima volta in Pisa 1829.

2. Benvenuto de' Rambaldi Imolese: del cui comentu non abbiamo in istampa se non quello che ne ha dato il Muratori nelle Antichità Italiche.

3. Carlo d'Aquino della C. di G., che in fine di ogni cantica traslatata in esametri ha brevi annotazioni Napoli 1728.

4. Pompeo Venturi della C. di G.

5. Il P. Lombardi M. C. Roma. Fulgoni 1791.

6. Gaetano Poggiali, in Livorno 1807-1813.

7. Il prof. Biagioli. Il suo Comento uscì la prima volta in Parigi 1819.

8. Quirico Viviani editore del Codice Bartoliniano della D. C. Udine 1823.

9. Antonio Cesari P. D. O. Bellezze della Commedia ec. Verona 1826.

10. Paolo Costa. La D. C. con brevi note ec. Bologna 1826.

